


A

355.

W

A MAGYAR TUDOMANYOS AKADEMIA KÖNYVTÁRA

MIKROFILMTÁR



BUDAPEST

1959

* BIBLIOTHECA ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE *

FOTO
Sz. T.

CATTANIUS, OCTAVIUS
LOGICAE SUMMULAE...

TYRNAVIAE.

SZK. II. 1693.

LH.: MTAK - RM. II. 249.

RM. II. 249

CATTANIUS, Octavius
Logicæ summulse, sive introductio
compendiaria in Aristotelis logicam.
Tyrnaviae, é.n.

SzK. II. 1693

L O G I C Æ
S U M M U L Æ,

S I V E

I N T R O D U C T I O
C O M P E N D I A R I A
In Aristotelis Logicam.

A U T H O R E

Reverendo Patre
OCTAVIO CATTANEO
è Societate JESU.

ROMÆ impressa, & repressa,
M. DC. LXXXI.




TYRNAVIAE Typis Academici
Per Joannem Adamum Friedl.

R.M.T. 249

area 50

Ranckburg 2 1/3 qm

Lab II 1693



(3)

P A R S I

*De primâ intellectus operatione, &
ad ipsam spectantibus.*

Prima operatio est apprehensio, quæ dividitur in simplicem, & complexam: per simplicem apprehensionem unicam tantum rem apprehendimus, plura per complexam, ita apprehendendo Petrum, formamus apprehensionem simplicem, apprehendendo Petrum doctum, formamus complexam. Res apprehensæ sunt simplissima dialecticæ elementa, quæ Grammatici vocant dictiones, Logici terminos, de quorum definitione, divisione, suppositione & proprietatibus, hic agendum est.

C A P U T I

Quid sit Terminus

I. Terminus definitio cum Aristotele
in primo Priorum cap. primo esse
id, in quo resolvitur propositio tanquam
in subjectum, & prædicatum.

4 De termini definitione

Hæc definitio explicatur & probatur. In omni propositione inveniuntur duo termini, quorum alter vocatur subjectum, hoc est id, de quo aliquid affirmatur vel negatur, alter vocatur prædicatum, hoc est id, quod de alio affirmatur, vel negatur: præter hos duos terminos invenitur verbum, quod est copula, sive nexus uniens in propositione affirmativâ unum terminum cum alio, hoc est prædicatum cum subjecto. In hac propositione. *Petrus est homo*: *Petrus*, & *homo* sunt termini: *Petrus* est subjectum, quia est id, de quo homo affirmatur, *homo* est prædicatum, quia est id, quod affirmatur: Verbum est fungitur munere copulæ unum extremum cum aliò copulantis.

2. Dictum est in tradita definitione propositionem resolui in subjectum, & prædicatum. Ratio est, quia propositione est compositum Logicum ex subjecto, & prædicato invicem unitis: sed omne compositum solutâ unione destruitur & resolvitur in partes componentes; ergo ablato verbo, destruitur copula, quâ extrema colligantur, adeoque propositione dissolvitur, sed propositione destructâ rema-

Summul. Pars. I. Cap. I. 5

remanet subjectum, & prædicatum, sicuti destructâ domo remanent lapides. Ergo propositione resolvitur in subjectum, & prædicatum, ex quibus componitur.

3. Hinc colliges primò omnia nomina tam substantiva, quam adjectiva esse per se terminos; Ratio est, quia possunt esse subjectum, vel prædicatum per se alicujus propositionis.

4. Colliges secundò pronomina, adverbia præpositiones, & alia similia, non esse per se terminos, sed modificationes terminorum: ratio est, quia per se loquendo non sunt subjectum, vel prædicatum, sed solum modificationes subjecti, & prædicati, ut patet in ipsis propositionibus: *Aquis homo est doctus*: *Petrus est valde justus*; quia *ly aliquis* in prima propositione non est subjectum, sed modificat subjectum, & in secundâ propositione *ly valde* non est prædicatum, sed illud modificat, quia ostendit modum, quo justitia est in Petro.

5. Duo sunt argumenta, quibus hæc doctrina urgetur. Primo: potest aliqua propositione resolvi in adverbium tanquam in subjectum, ut liquidò constat in ea, quam in hunc modum formare quis

6 *De Termini Definitione.*

prohibet? Valde est adverbium ergo adverbia sunt termini, quia non minus resolvitur in adverbium hæc propositio, quam alia quælibet in nomen substantivum, est igitur utriusque pars ratio.

6. Secundò: verbum aliquando prædicatur, ut contingit in hac propositione *Petrus currit*, in qua nihil est, quod præter verbum dicatur de Petro, ergo non sola nomina sunt termini, cum verbum possit inducere naturam termini.

7. Primum argumentum solvit vulgaris, & trita distinctio illius, quod per se & per accidens solet contingere, est enim accidentarium cuilibet adverbio, ut propositio in illud resolvatur tanquam in subjectum, quod cæteris nominibus sive substantiva, sive adiectiva eà sint, per se convenit: neque aliam tibi rationem afferre possum, nisi sapientum institutionem, quibus libuit usurpare nomina ad propositiones formandas, & adverbis uti, quibus nominum significatio extendatur, vel limitetur: In forma distingvo antecedens: resolvitur per se: nego antecedens; per accidens: concedo antecedens, & distingvo consequens, ergo sunt termini per se: nego con-

Summul. Pars I. Cap. I.

consequentiam, per accidens; concedo consequentiam.

8. Secundum argumentum solvit distinguendo duplē significationem ejus, quod prædicatur in qualibet propositione, unam explicitam quam formalem vocant Philosophi, aliam implicitam, sive æquivalentem: non est necesse, ut præter verbum aliquid expressè sit. quod enuncietur, sufficit enim si contineatur in verbo, quod illi æquivalat, ut videre est in propositione, quam nobis arguens opponit, ea enim æquivalent isti: *Petrus est currens*: idem dicit de alia quacunque, quam in eandem rem tibi poteris pro arbitrio fingere.

C A P U T. II.

Quotuplex sit terminus.

1. CEleberrima est termini partitio in mentalem, vocalem, & scriptum, propositio enim, quæ conficitur ex terminis, prius concipitur mente, deinde vocibus expressa, characteribus exaratur.

2. Terminus vocalis, de quo potissimum agitur, aliis est significatus, aliis non significatus. Terminum si-

8 De Termini Divisione.

gnificativum rectè definit Toletus lib. 1. cap. 11. & nos cum ipso in hunc modum: est vox significativa ad placitum ex qua componitur simplex propositio. Dicitur vox, quia plura sunt signa, quæ non sunt voces, ut patet in rebus tūm ex natura sua, tūm etiam ex humano arbitrio institutis ad aliud significandum, sumus enim est signum naturale ignis, & sonus æris campani futuram lectio- nem indicat: hac de causa in tradita definitione debuit fieri mentio vocis, ut nimirum à notione termini significa- tivi ea signa excluderentur, quæ consi- stunt in rebus. Dicitur præterea vox ad placitum significativa, quod enim hu- jusmodi vox lapis significat aliquid à se distinctum, pendet à libera hominum voluntate, quæ seclusa non est, cur la- pidem potius quam panem significet. Cæteras particulas singillatim exponere est supervacaneum, carent enim diffi- cultate, quia significant eum finem, ad quem termini ordinantur, videlicet propositionem, quam componunt.

3. Terminus non significatus vox que nihil significat à se distinctum: exem- plum habes in hac voce bactri toties apud

Summul. Pars I Cap. II.

apud Dialecticos decantata, id enim in- ter has duas voces bætri, & lapis inter- est quod recitato bætri nihil intelligis à recitantis voce distinctum, audito verò enunciari lapidem, mente formas ima- ginem lapidis, qui incurrit in oculos, vel pedem lædit.

4. Obijces: vox, quæ nihil significat, aliquid significat, sed bætri nihil signi- ficat, ut tu ipse fateris, ergo aliquid si- gnificat adeoque dum dicas esse vocem, quæ nihil significat, tibi aperte contra- dicis, partitio igitur termini in signifi- cativum, & non significativum est in- utilis, immò nulla. Major probatur, quia ista vox nihil habet aliquam signi- ficationem, quæ consistit in nulla re significanda, si ergo bætri nullam rem significat jam significat: tūm quia qui pronunciat bætri significat se loqui sine ullà significatione, quod sine dubio est aliquid significare.

5. Respondeo distingvo majorem: vox quæ nihil negative significat, ali- quid significat: nego majorem, vox quæ nihil positivè significat, aliquid si- gnificat, concedo majorem: & distin- gvo minorem, bætri nihil negative si-

A§ gnifi-

gnificat: concedo minorem: nihil positivè significat nego minorem, & consequentiam. Quid est nihil negativè significare? Est non significare, sive carere omni significatione: in hoc sensu verum dicit, quicumque dicit *Bātri* nihil significare, ideo enim nihil significat quia non significat. Quid vero est nihil positive significare? Est habere aliquam significationem, quæ consistit in significanda parentia alicujus rei: in hoc utique sensu non dicit qui dicit *Bātri* nihil significare, non enim utimur hac voce ad significandam parentiam alicujus rei. Hinc magnum agnoscet discrimen inter duas istas voces *Bātri*, & *nihil*, prima enim nihil negativè significat, quia non significat, secunda vero nihil positivè significat, quia significat parentiam omnium rerum. Certissimum hujus discriminis argumentum est, quod rogatus ab amico, quantum habeas pecuniae in marsupio nummis vacuo, ait te nihil habere, non ait te habere *bātri*, nisi velis aperte delirare. Est igitur in voce, quæ nihil significat, puerilis, & futilis æquivocatio, quæ jam diu est quod torquet addiscentes

tes

tes rudimenta Logicæ: ab omnibus tricis te facile expedes distingvendo accurate vocem, quæ nullam rem negative significat, à voce, quæ nullam rem positivè significat, facillimum enim est confundere unam significationem cum alia. At non ne significat se non velle aliquid significare qui loquitur in hunc modum? Minime vero, quia perinde non vult aliquid significare, quia eam vocem format, ac qui nullam format, sicuti ergo nihil significat, qui nihil dicit, sive non loquitur, ita nihil significat qui loquendo dicit *Bātri*.

C A P U T III.

De Divisione Terminis significativi.

Terminus significativus dividitur primò & immediate in categorematicum, syncategorematicum, & mixtum. Categorematicus est ille, qui per se asque ullo additamento aliquid significat, ut homo, Civitas. Dicitur autem per se significare, quia per se potest esse vel subjectum, vel prædicatum alicujus propositionis. **T**erminus syncategorematicus est ille, qui nihil per se significat, sed alteri adjunctus facit eum aliter significare,

*ut omnis, nullus, aliquis, per se hic terminus omnis nihil significat: quod si adiungatur huic termino homo facit eum aliter significare, ac si idem terminus absque ullo syncategoremate pronunciaretur. Ratio est, quia homo aliter significat in ista propositio *omnis homo currit*, ac in ista: *homo currit*; quia pro hujus veritate sufficit unum tantum hominem currere, cum alia non possit esse vera, nisi omnes currant. Terminus mixtus, est qui participat aliquid ex utroque, ut doctè, benè, sapienter, & cætera adverbia.*

2. *Terminus categorematicus dividitur in complexum, & incomplexum. Terminus complexus est ille cuius partes per se sunt significativa; hoc est cuius partes retinent eandem significationem separatae, atque conjunctae, ut hæc voces homo justus formant terminum complexum, quia idem significat hæc vox homo simul cum alia voce, ac seorsim. Terminus incomplexus est ille, cuius partes per se non sunt significativa ut homo, quia singulæ partes componentes hanc vocem homo nihil significant. ut omnibus patet.*

3. Divi-

3. *Dividitur tertio terminus significativus in communem, sive universalē, & singularem. Terminus communis est ille, qui plura significat, de quibus potest singillatim prædicari, ut hæc vox homo, quia plura significat, nempè Petrum, Paulum &c. de quibus potest prædicari singillatim, dicendo Petrus est homo. Terminus singularis est ille qui unum tantum significat, ut hæc vox Petrus.*

4. *Dubium hinc nascitur, ad quem potissimum terminum pertineant, singularem nec an communem Sol, Phœnix, & Deus, cum ad utrumque promiscue affirmandum utriusque termini natura nos videatur impellere.*

5. *Hoc dubium facilè solves, dicendo Solem, & Phœnicem esse terminos communes, Deum vero singularem: ratio cur Sol, & Phœnix sint termini communes, est, quia licet unus tantum in Cœlo splendeat sol, & unicus in rerum natura inveniatur Phœnix; nihilominus non est, cur plures non possint in Cœlo splendere Soles, de quibus vere prædicetur natura solis, & plures non possint in terra reperiri Phœnices, de qui-*

24 *Dividitur Terminus singularis.*

quibus pariter affirmetur natura Phœnicis, quis enim impedit quominus Deus qui est potestatis infinitæ, in præsenti alium solem, aliumque Phœnicem producat? satis enim est si ea, de quibus dicitur terminus communis possint esse: quidquid sit, an verè sint, vel non sint. Ratio è contrario cur *Deus* non sit terminus communis, sed tantum singularis, est omnino opposita, quia Deus ita est unus, ut repugnet esse plures Deos, cum necesse sit unicum esse in Cœlo numen, adorandum in terris, ut naturæ fideique lumen nobis demonstrat, juxta illud: *Audi Israel Dominus Deus tuus unus est.* Neque mihi opponas plura olim suisse apud antiquos Numina, nimirum Jovem, Martem, Mercurium, & similes, quia, ut optimè nosti, nihil habeant Divinitatis præter nomen, quo vocabantur falsò Dij.

6. At inquires, tres sunt Personæ Divinæ: nimirum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & de singulis verè dicitur hoc nomen *Deus*, quis enim ignorat filium esse Deum, non minus quam Patrem? cur ergo non erit *Deus* nomen commune? verum quidem est tres esse per-

Summul. Pars I. Cap. IV. 15

personas divinas, & verum pariter est singulas esse Deum: quis autem dicat tres esse Deos? cum ergo non possit verè dici tres esse Deos, sicuti verè sunt tres homines tres Personæ humanæ, quibus verè convenit hominis appellatio, est manifestum disparem rationē esse inter hominem, & Deum, atque adeò hunc esse terminum singularem, illum universalē.

C A P U T IV.

De divisione Termini singularis.

1. **A** Nte quam agamus de termino universalī uberiū exponendo; opus est absolvere ea, quæ spectant ad partitionem termini singularis, qui proinde dividitur in collectivum, determinatum, & indeterminatum. Terminus collectivus plura significat sub unā collectione, ut *Populus*, *Civitas*, *Domus*, & alia id genus.

1. Urgebis: hic terminus significat plura, ergo non significat unum, quid enim magis opponitur, quam unum, & plura, hoc est unum, & non unum? terminus igitur collectivus, non est terminus singularis. Adde quod nullum est

16 De Termini Communis Divis.

est discriimen inter hanc vocem *homo*; & hanc aliam *Civitas*, cum utraque significet plura.

3. Respondeo distingvo antecedens; significat plura collectivè: concedo antecedens: significat plura distributivè: nego antecedens; & consequentiam. Vox quæ significat plura collectivè, unam tantum rem significat, nimurum unam collectionem, quæ ex pluribus rebus constat; ita *Civitas* significat plures Domos unam Urbem componentes, Populus plures homines unam multitudinem constituentes: è contrario vox, quæ significat plura distributivè, de quibus singillatim verè prædicatur, significat rem non tantum unam, hinc patet disparitas manifesta inter hos terminos. *Homo*, & *Civitas*, quia hic terminus *Homo* utpote universalis significat omnes homines, de quibus potest singillatim prædicari natura hominis, dicendo *Petrus est homo*, *Paulus est homo*. & sic de infinitis alijs Personis humanæ naturæ: oppositum contingit in hac voce *Civitas*; quæ significat omnes Urbis exempli gratia Romanæ Domo, de quibus singillatim non potest prædicari *Civitas*,

Summul. Pars I. Cap. V.

vitas, dicendo ista *Domus est Roma*, sed necesse est omnes Domos Urbis Romanæ in unam collectionem confluere, quæ verè dicitur *Civitas Romana*.

4. Terminus determinatus est ille, qui unum determinatè significat, ut *Petrus*, qui significat hunc hominem determinatum: unde sequitur terminus singularem latius patere: quam terminum determinatum, quia quilibet determinatus est singularis, quilibet verò singularis non est determinatus. Terminus indeterminatus sive vagus est ille, qui unum indeterminate significat, nimurum *aliquis homo*: audito enim aliquem hominem in foro ludere, statim intelligis unum hominem ludere, sed nondum intelligis quis ille sit, qui ludit, Petrus ne, an Paulus.

5. Hinc terminus determinatus infert indeterminatum, qui enim in hunc modum arguit *Petrus currit*, ergo *aliquis homo currit*, optimè arguit, quia verum est currente Petro aliquem hominem currere, è contrario terminus indeterminatus non infert determinatum, quia non bene arguit, qui arguit Petrum currere eo quod *aliquis homo currit*, cum posse

possit contingere, ut Petro non currente Paulus currat.

C A P U T V.

De divisione termini Communis.

1. **H**uc usque de termino singulari sat is, quantum arbitror, diximus; superest dicendum de termino Commun i, sive universal i, quem ut potè momenti majoris debemus amplius expōnere, & in alios terminos partiri.

2. Primo itaque dividitur in transcendentem, & non transcendentem, quem alij vocant transcendentalem. Transcendens est ille, qui vagatur per omnia rerum genera, cum nihil sit in rerum natura, de quo non possint termini transcendentes prædicari. Hujusmodi sunt *Res*, *Ens*, *Unum*, *Bonum*, *aliquid*, *Verum*, qui ut altius inherent menti significantur hac voce Reubau prima enim litera significat *Res*, secunda *Ens*, & sic de reliquis. Nihil reperies de quo non possis verè dicere quidquid significatur istis vocibus, ut facile constat. At mendacium nunquid est bonum? est utique bonum in genere entis, quia verè est in rerum natura, non

est

est bonum in genere moris, quia non est bene moratus, quicumque mentitur: bonum autem, quod vagatur per omnia est bonum in genere entis, non in genere moris.

3. Terminus non transcendens, est ille qui non vagatur per omnia rerum genera, sed restringitur ad aliquod genus determinatum: ut hic terminus *animal*, qui terminus non potest verè affirmari de omnibus rebus, sed de illis solum, quæ includuntur in genere animali, hoc est de omnibus animalibus, ideo hæc propositio est vera: *homo est animal*, ista alia est falsa: *planta est animal*.

4. Dividitur secundo terminus communis in univocum, æquivocum, & analogum. Univoca definiuntur ab Aristotele in l. de ante prædicamentis cap. 1. esse illa, quorum nomen est commune, & ratio per nonen importata est omnino eadem. Duò requiruntur ad formandum terminum univocum, primò quod nomen sit pluribus commune, Secundò, quod ratio, sive conceptus significatus hoc nomine sit omnino idem in omnibus, de quibus prædicatur, ita *animal* est terminus univocus, quia non solum

20 De Termini Communis Divis.

solum nomen est omnibus animalibus commune videlicet homini, equo, Leoni &c. sed etiam illud, quod per hoc nomen significatur, nempe esse principium sentiendi est omnino idem in omnibus animalibus.

5. Äquivoca ab eodem Aristotèle loco cit. definiuntur, *quorum nomen est commune, ratio vero per nomen significata est omnino diversa*: ita hoc nomen canis, quod prædicatur de cane cœlesti, terrestri, ac maritimo, est æquivocum, nomen enim est commune omnibus, quia tamen appellatur canis ille qui est maritimus, quam terrestris, ratio vero significata per nomen est omnino diversa, quia nomine canis significantis canem cœlestem intelligitur quædam stella, nomine canis significantis canem terrestrem intelligitur animal latrabile.

6. Analogia, quæ medium locum tenent inter univoca, & æquivoca, sunt illa, *quorum nomen est commune, & ratio per nomen significata est partim eadem, partim diversa*. Hæc subdividuntur in analogia attributionis, & proportionis. Analogia attributionis sunt illa, quæ significant ordinem, quem plura habent ad unum

ita

Summul. Pars I. Cap. V. 21

ita sanum est analogum attributionis inter animal, medicinam, & cibum, quia hæc omnia denominantur sana per ordinem ad sanitatem animalis. Analogia proportionis sunt illa, quæ fundantur in quadam proportione unius ad aliud: ita ride re dicitur analogicè de homine, & prato viundi, hinc originem habent omnes metaphoræ, quas reiçimus ad Rethores. in omnibus analogis invenitur principale analogatum, pro quo supponit solum terminus analogus.

C A P U T VI.

Afferuntur aliae Divisiones Terminorum.

1. Terminus communis iterum dividitur in concretum, & abstractum. Terminus concretus est ille qui significat aliquod compositum ex subjecto, & forma. Terminus abstractus est illa forma, quæ tribuit denominationem concreto. Ita album est terminus concretus, albedo terminus abstractus, quia album est aliquod totum, quod componitur ex subjecto, videlicet pariete, & albidine, quæ est existens in pariete, eumque denominans album.

2. Hinc

2. Hinc terminus concretus alio nomine vocatur denominativus; & abstractus denominans: tria igitur debent accurate distingvi in termino concreto sive denominativo, videlicet tota denominatio, res denominata, & forma denominans. Tota denominatio est terminus concretus, res denominata est subjectum, ex quo hic terminus componitur; forma denominans est forma, ex qua componitur idem terminus: illud itaque, quod constat ex pariete, & albedine est concretum, sive tota denominatio, quæ significatur hac voce *album*, paries vero quem albedo informat, est res denominata, albedo est forma denominans.

3. Hinc est, quod terminus concretus, sive tota denominatio *albi* duo significat, nimirum subjectum quod est paries, & formam, quæ est albedo, sed non significat eodem modo utrumque, quia in recto significat subjectum, in obliquo formam, ideo rogatus, quid sit album statim respondet: *album est id, quod habet albedinem*, in qua propositione explicante naturam termini concreti, ponitur in recto subjectum, & in obliquo forma.

forma. In hac diversa significatione subjecti, & formæ componentium terminum concretum, habet fundatum illa celeberrima distinctio, quam in totius Philosophiæ decursu adhibebimus frequentissimam illius pro quo supponit terminus concretus, & illius quod tantum significat; terminus enim concretus formam tantum significat, & subjectum non solum significat, verum etiam pro eo supponit. Inde est esse veram hanc propositionem, quæ formari potest de lacte in hunc modum. *Album est dulce falsam verò aliam: albedo lactis est dulcedo*, ratio est quia veritas propositionis pendet ex identitate praedicati cum subjecto secundum id pro quo utrumq; supponit, sed ista identitas invenitur in prima propositione, non invenitur in secunda ergo prima est vera, secunda falsa.

4. Notandum insuper est, concreta alia esse substantialia, alia accidentalia, hæc verò alia esse intrinseca, alia extrinseca: substantialia constant ex duplice parte substantiali, ut omnia supposita, quæ constant ex natura, & subsistentia, ut *homo* qui constat ex humanitate, &

ha-

24 De alijs Termin. Division.

habente humanitatem. Accidentalia constant ex dupli parti, quarum una est accidentalis: ista aliquando est intrinseca, aliquando extrinseca rei denominatae; quando est intrinseca, constituit concretum accidentale intrinsecum, ut *album*: albedo enim est intrinseca parieti, quem denominat *album*: quando vero est extrinseca constituit concretum accidentale extrinsecum ut *cognitum*, cognitio enim est forma extrinseca illi rei, quae appellatur *cognita*.

5. Dividitur praeterea *Terminus communis* in *connotativum*, & *absolutum*. *Terminus connotativus* est ille qui significat aliquid per modum adiacentis: hujusmodi sunt omnia nomina adiectiva, quae significant aliquid per modum rei adiacentis alteri: ut *album*, *justum*, & *similia*, quae significant albedinem, & justitiam per modum adjacentis subiecto albo, & justo. *Terminus absolutus* est ille, qui significat rem per modum per sestantem: hujusmodi sunt omnia nomina substantiva, ut *homo*, *lapis*, *albedo*, quia hic terminus *albedo* licet significet formam alteri inherenterem, nihilominus est terminus absolutus, quia in modo

signi-

Summi. Pars I. Cap. VI. 25

significandi non involvitur haec inherenteria.

6. Hinc colliges discrimen inter terminum absolutum, & connotativum esse in diverso modo significandi, & nullatenus in re significata. Hinc est, quod terminus absolutus se habet ad terminum abstractum, & connotativus ad concretum, sicuti terminus superior, & universalior, ad terminum inferiorem, & minus universalem, quia omne absolutum est abstractum, & omne connotativum est concretum; non tamen est contrariò omne concretum est connotativum, hic enim terminus *homo* est concretus, & tamen non est connotativus.

7. Dividitur rursus idem terminus in terminum finitum sive finitatem, & infinitum, sive infinitatem. *Terminus finitus* est ille, qui atquid determinatè significat, ut *homo*, *lapis*, &c. *Terminus infinitus* est ille, qui aliquid determinatè significat, & negat illud, quod significat, nihil tamen determinatè affirmat, ut non *homo*, non *lapis*: qui enim dicit non homo currit, negat hominem currere, quem significat determinatè, & affirmat indeterminate aliquid distinctum ab ho-

B

mine

mine currere, hinc est quòd termini evadunt infiniti, per hoc, quòd particula non ante ipsos ponatur.

8. Hinc colliges, quòd particula non ponatur in propositione ante verbum, propositio evadit negativa, sed termini non sunt infiniti, si verò eadem particula ponatur ante subjectum, vel ante prædicatum fit propositio de subjecto, vel prædicato infinito, ut patet in hac duplii propositione: *non homo est equus, equus est non homo.*

9. Dividitur denique terminus in Terminum primæ intentionis, & Terminum secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est ille, qui significat ea prædicata; quæ convenienter rebus ante omnem intellectus operationem, ut *homo, animal.* Terminus secundæ intentionis est ille, qui significat ea prædicata, quæ convenienter rebus in ordine ad operationem intellectus, ut *subjectum, prædicatum.* Ea prædicata, quæ constituunt terminos primæ intentionis vocantur primo intentionalia, & sunt entia Physica, & realia. Prædicata, quæ constituunt Terminos secundæ intentionis vocantur secundo intentionalia, & sunt entia Logica, quia ea speculari spectat ad Logicam. CA-

C A P U T VII.

De Terminis pertinentibus, & impertinentibus.

1. Inter Terminos ultimum locum habent illi, qui comparantur invicem, & dividuntur in Terminos pertinentes, & impertinentes.

2. Termini impertinentes, sunt illi, qui ita se habent, ut neque unus alteri repugnet, neque unus sequatur ex altero ita justum; & album sunt termini impertinentes, quia unum alterum non excludit, idem enim potest esse album, & justum, neque unum ex altero sequitur, quia haec consequentia non est bona: *hoc subjectum est album. ergo est justum.*

3. Termini pertinentes sunt illi, qui vel habent invicem repugnantiam, & isti dicuntur pertinentes repugnantia, ut calidum, & frigidum, album, & nigrum, vel ita se habent inter se, ut unus alterum inferat, ut *homo, animal,* qui termini dicuntur pertinentes sequelæ, quia haec consequentia est bona: *Petrus est homo, ergo est animal.*

4. Termini pertinentes sequelæ dividuntur in Terminos se non mutuo inferen-

28 De Term. Impert. & Pertinent.

ferentes, & se mutuo inferentes: termini se non mutuo inferentes sunt illi qui sunt tales ut ab uno valeat consequentia ad alterum, sed non est contrariò, ita homo, & animal sunt termini pertinentes sequela non mutua, quia bene insertur ab homine animal, sed non est contrariò ab animali homo, cum omnis homo sit animal, sed non omne animal homo: hujusmodi termini appellantur à Logisticis termini non convertibiles.

5. Termini se mutuo inferentes, adeoque pertinentes sequelà mutua sunt illi, à quibus valet consequentia mutua, hujusmodi sunt homo, & risibile: sicut enim bene insertur; est homo ergo risibilis, ita bene insertur est risibilis ergo homo. Hujusmodi termini vocantur convertibles.

6. In terminis pertinentibus sequelà non mutua ille, à quo aliis insertur, vocatur terminus inferior, ille vero à quo non insertur, vocatur superior, ita homo à quo insertur animal est terminus inferior, animal, à quo non insertur homo, est superior.

7. Sunt hic aliquæ regulæ observandæ in argumentis, quæ sunt ex terminis

nis

Summnl. Pars I. Cap. VII. 29

nis convertilibus, & non convertilibus. Modus arguendi in terminis convertilibus est ille; quicquid affirmatur, vel negatur de uno termino, affirmatur etiam, vel negatur de altero, ita de Petro, de quo affirmatur homo, affirmatur etiam risibile. & de equo, de quo negatur homo, negatur etiam risibile.

8. Modus arguendi in terminis non convertilibus est duplex; primus modus est, quando arguitur ex parte prædicati, hoc est quando terminus non convertibilis est prædicatum, ut in hac propositione Petrus est homo, tunc si terminus non convertibilis sit inferior, valet consequentia ab affirmatione unius, ad affirmationem alterius, quia de quounque affirmatur terminus inferior, affirmatur etiam superior, ita est bona consequentia Petrus est homo ergo est animal; & tamen à negatione unius termini non valet consequentia ad negationem alterius, quia terminus superior non negatur de omni eo, de quo negatur inferior; ita non valet equus non est homo, ergo non est animal. Secundus arguendi modus est ex parte subjecti,

B3

hoc

30 De Term. Impert. & Pertinent.

hoc est quando unus ex terminis non convertilibus est subjectum, tunc enim valet affirmativè, & negativè, cum hoc tamen discrimine, ut si subjectum sit terminus inferior, valet consequentia ad terminum superiorem particulariter sumptum, ut *homo currit*, ergo *aliquid animal currit*, si vero subjectum sit terminus superior, tunc valet consequentia à superiori universaliter accepto ad inferiorem, ut patet in hoc exemplo; *omne animal est videns*: ergo *homo est videns*.

9. Terminai pertinentes repugnantia dividuntur in disparatos, contrarios, privativos, contradictorios, & relativos.

10. Termini disparati sunt illi, qui significant res diversas, ut *homo*, *equis*.

11. Termini contrarij sunt illi qui significant duas res positivas se excludentes, ut *calidum*, & *frigidum*.

12. Termini privativi sunt illi, quorum unus significat carentiam alterius cum potentia illud habendi: ut *cœcus*, & *videns* quia *cœucus* dicit subjectum carens visione, cum habeat potentiam videndi.

13. Termini contradictorij sunt illi, quorum unus negat totum id, quod aliis signi-

Summari. Pars I. Cap. VIII. 31

significat, ut *currens* non *currens*. Hinc colliges terminos fieri contradictorios, per hoc quod Termini finiti evadant infiniti.

14. Termini relativi, sunt illi, quorum unus refertur ad alterum; ut *pater*, & *filius*, *Dominus*, & *servus*. Unus modus arguendi est communis istis terminis, videlicet ab affirmatione unius ad negationem alterius: ut *Petrus est pater Francisci*, ergo non est ejus *Filius*.

C A P U T. VIII.

De suppositione Terminorum.

1. Suppositio Terminorum rectè definitur à Toleto l. 2. c. 2. est usus termini vel pro se, vel pro suo significato.

2. Sciendum est voces ponit loco conceptum ad significandas res, quia non possumus loqui de rebus nisi utamur vocibus, quoniam vero aliquando incidit sermo de ipsis vocibus, ad quas significandas non utimur alijs signis à voce distinctis, ideo suppositio termini bene dicitur esse usus Termini, vel pro se, hoc est pro ipsa voce, vel pro suo significato, hoc est pro re significata per vocem. Hinc nascitur divisio supposi-

tionis, quæ dividitur in materialem, & formalem.

3. *Suppositio materialis est usus Terminii ad significandam ipsam vorem*, ut patet in hac propositione: *homo est vox, suppositio formalis est usus Terminii ad significandam rem*, ut *homo est animal*: ideo in prima propositione *homo* dicitur supponere materialiter, in secunda formaliter.

4. *Suppositio materialis dividitur in intrinsecam, & extrinsecam; intrinseca est usus Terminii pro se secundum illud, quod habet ex natura sua*, ita in hac propositione *Petrus est homo* ly *Petrus* habet suppositionem materialem intrinsecam, quia hic terminus habet ex natura sua, ut sit vox. *Suppositio materialis extrinseca est usus Terminii pro se secundum illud, quod provenit ex libera hominum institutione*: ita in hac propositione *Petrus est nomen secundæ declinationis* ly *Petrus* supponit materialiter suppositione extrinseca, quia est nomen secundæ declinationis ex libera hominum voluntate.

5. *Suppositio formalis primò dividitur in propriam, & impropriam. Propria est usus termini pro re, quam propriè significat: Impropria vero est usus termini*

pro

pro re, quam significat solum improriè. Exemplum suppositionis propriæ est hoc, homo currit, quia ly homo supponit pro re, ad quam propriè significandam ea vox usurpat: exemplum suppositionis improriæ est hoc; Imago Cæsaris est homo ly enim homo improriè tantum significat hominem pictum. In omnibus locutionibus metaphoricis termini supponunt improriè: hinc colliges fallaciam, quæ committi solet, quando suppositio mutatur de propria in improriæ, ut patet in hoc arguento sophistico: Ridere est movere os, sed prata rident, ergo prata movent os, fallacia consistit in eo quod terminus ridere in una propositione supponit propriè, in alia improriè.

6. *Dividitur secundò suppositio formalis in simplicem, & personalem: suppositio simplex est usus termini ad significanda prædicata secundò intentionalia suppositio personalis: Est usus termini ad significanda prædicata primò intentionalia. Dictum est cap. præcedenti n. 9. prædicata primò intentionalia esse prædicata realia, quæ prædicantur de rebus ante quamcumque operationem intellectus,*

Bf

lectus,

lectus, prædicata verò secundò intentionalia esse prædicata, quibus objecta denominantur extrinsecè ab actibus intellectus. In hac propositione *homo est animal* ly *homo* habet suppositionem personalem, quia homo est animal nullo intellectu cogitante; in ista vero propositione *homo est species*: ly *homo* supponit simpliciter, quia non habet esse speciem nisi per operationem intellectus, qui confundit omnes homines, eosque denominat *speciem*. Ex eo quod unus terminus potest adhiberi in argumendo, modò cum suppositione simpli ci, modò cum personali, nascitur fallacia, quæ reddit argumentum sophisticum, ut patet hoc exemplo: *homo est species, sed Petrus est homo ergo Petrus est species*: Consequentia enim est falsa, licet antecedens sit verum.

7. Dividitur suppositio personalis in essentiale, & accidentale. *Essentialis est usus termini pro eo quod res habet essentialiter*; ut *Petrus est homo*: *Suppositio accidentalis est usus termini pro eo quod res habet accidentaliter*, ut *Petrus currit*. Notandum hic est, quod propositione de subjecto habente suppositionem essentia-

tialem ut sit vera, non est necessaria existentia subjecti, quæ vocatur constantia subjecti: hinc est, quod ista propositione *Petrus est homo* vera est, etiam si Petrus non existat, quia terminus supponens essentialiter abstrahit ab omni tempore: vice versa non potest esse vera proposi tio de subjecto habente suppositionem accidentalem, nisi subjectum existat, ideo de Petro non existente non potest formari vere hæc propositione: *Petrus currit*.

8. Dividitur quartò suppositio in distributivam, copulativam, determinatam, & confusam.

9. Suppositio distributiva est usus termini communis pro omnibus suis inferioribus distributivè acceptis: ita in hac propositione, *omnes discipuli student*, ly *omnes discipuli* supponit distributivè, quia nullus est discipulus, qui non studeat.

10. Suppositio copulativa est usus termini communis pro omnibus inferioribus collectivè acceptis: ita in hac propositione. *Omnes discipuli sunt centum*. ly *omnes discipuli* supponit collectivè, quia omnes collectivè accepti, non verò singuli sunt centum. Ex mutatione sup-

positionis distributivæ in copulativam nascitur fallacia, quæ reddit hoc argumentum falsum. *Omnes Apostoli sunt duodecim: sed Petrus, & Paulus sunt Apostoli ergo Petrus, & Paulus sunt duodecim:* fallacia consistit in illo termino *Apostoli*, qui in majori supponit collectivè, in minori distributivè.

11. Suppositio determinata est usus termini communis pro omnibus suis inferioribus disjunctivè acceptis, ut aliquis discipulus studet, quæ propositio resolvitur in istam: vel Petrus studet, vel Paulus studet, & sic de singulis discipulis.

12. Suppositio confusa est usus termini communis pro omnibus inferioribus disjunctivè acceptis: ut aliqua navis est necessaria ad navigandum; quæ propositio resolvitur in istam: vel hæc, vel illa navis est necessaria ad navigandum. Hinc colliges discrimen inter suppositionem determinatam, & confusam, quod propositio, in qua terminus supponit determinatè, resolvi debet in propositionem disjunctivam, in qua de singulis seorsim affirmatur illud, quod affirmatum est de termino communi: propositio vero, in qua terminus communis supponit

ponit confuse, resolvi debet in aliam propositionem disjunctivam, in qua de omnibus simul acceptis cum particula disjunctiva vel affirmetur illud, quod affirmatum est de tetmino communi.

13. Ultimo suppositio distributiva dividitur in completam, & incompletam.

14. Suppositio completa est usus termini communis pro singulis illius generis, ut omne animal est vivens, ly enim omne animal supponit pro singulis animalibus.

15. Suppositio incompleta est usus termini communis pro generibus singulorum. Ut omne animal fuit in Arca Noe, ly enim animal non supponit pro singulis animalibus, alioquin propositio esset falsa: sed generibus singulorum, hoc est nullum est genus animalium, ex quo aliquid non fuerit in arca Noe.

C A P U T IX.

De alijs Terminorum proprietatibus.

1. **R** Eliquæ terminorum proprietates sunt ampliatio, restrictio, diminutio, alienatio, & appellatio.

2. *Ampliatio est extensio termini à minori ad majorem suppositionem.*

Notandum hic est, quod terminus in propositione aliquando sumitur cum statu, quod tunc contingit, quando accipitur pro re praesenti, ut in hac propositione, *Petrus disputat*, ly *Petrus* dicitur habere suum statum, quia supponit pro Petro existente in eo tempore, in quo profertur propositio: aliquando terminus sumitur promiscue pro tempore praesenti, futuro, vel praeterito, & tunc dicitur sumi cum ampliatione.

4. Hinc colliges, quod in propositione, in qua est verbum de praeterito, ampliatur subjectum ad significandum tempus, vel praeteritum, vel praesens: prædicatum vero non ampliatur, sed ejus significatio restringitur ad praeteritum: ut *Petrus cucurrit*, ly *Petrus* sumitur cum ampliatione ad tempus praeteritum, adeoque facit hunc sensum Petrus, qui est, vel fuit, cucurrit: At in propositione, in qua verbum est de futuro, ampliatur subjectum ad significandum tempus praesens, vel futurum: ut *Petrus audiet lectionem*, sensus est: *Petrus qui est, vel erit, audiet lectionem.*

4, R^c

4. *Restrictio* è contrario est coarctatio termini à majori ad minorem suppositionem: quemadmodum enim ampliatur terminus per extensionem à suppositione minori ad majorem, ita restringitur per coarctationem à majori ad minorem.

5. Tribus modis fit restrictio: primò per additionem alicujus adjektivi, quod extremo appositum illius significacionem restringit, ut *homo justus est amicus Dei*. ly enim *justus* restringit significacionem hominis, secundò per additionem casus obliqui ex parte ejusdem termini, ut *liber Aristotelis est Græcè conscriptus*. Tertio per appositionem substantivi inferioris ut *Apostolus Petrus est Christi Vicarius*.

6. *Diminutio* est additio alicujus dictonis, per quam *Terminus ex se supponens absolutè, supponit secundum quid*: ut *Aethiops est albus secundum dentes*. ly *secundum dentes* vocatur additum diminuens quia ly *albus* supponit absolute, sed modificatus additio diminuente significat solos dentes Aethiopis esse albos.

7. *Alienatio* est distractio *Termini à suppositione propria ad improriam*, ut *leo*

mara

marmoreus videtur in *foro*: *leo* vocatus terminus distractus: *marmoreus* additum distrahens, quia determinat alium terminum ad habendam significationem impropriam.

8. Hinc colliges discrimen inter restrictionem, diminutioem, & alienationem: restrictio est talis, ut additum restringens neque mutet, neque diminuat significationem Termini, cui adjungitur, sed solùm trahat significationem ad pauciora supposita: in diminutione additum secundūm quid diminuit integrum significationem termini: in alienatione additū distrahens facit Terminum transfire à suppositione propria ad impropriam: ideo non valet consequia à termino alienato, vel diminuto ad eundem absolute, & simpliciter acceptum, ut *leo marmoreus* videtur in *foro*: ergo *leo* videtur in *foro*.

9. Appellatio termini definitur esse applicatio significati formalis unius termini ad significatum alterius, ut *Petrus est sapiens*, ly sapiens applicat Petro suam significationem formalem: aliquando appellatio fit ex parte subjecti, quod denominatur *Terminus appellatus*, &

præ-

prædicatum *Terminus appellans*: aliquando fit ex parte prædicati, ut *Petrus est magnus Logicus*, ubi ly magnus non appellat Petrum, sed Logicum.

10. Appellatio aliquando est materialis, aliquando formalis; *materialis est quando appellatio fit termino materialiter considerato*: ut *musicus ædificat*, quia non ædificat, quatenus musicus; *formalis est, quando appellatio fit Termino formaliter considerato*: ut *homo est discursivus* quia ly discursivus convenit homini formaliter, quatenus homo est: Cavendum est diligenter ne varietur appellatio de materiali in formalem, quia argumentum evadit sophisticum, ut patet hoc exemplo. *Homo qui currit est Petrus*, sed video hominem qui currit, ergo video Petrum. Ly enim Petrus in majori habet appellationem materialem, in consequia formalem.

C A P U T X.

1. **D**uo modi sciendi traduntur ab Aristotele, quorum alter est definitio, alter divisio: de primo agemus in hoc cap. de 2. in sequenti.

2. De-

2. Definitio est oratio, que declarat naturam, & essentiam rei, ita homo definitur esse animal rationale, ly homo vocatur definitum, ly animal rationale vocatur definitio.

3. Hinc colliges inter definitum, & definitionem non dari distinctionem realem, sed solum formalis, que vocatur distinctio rationis. Ratio, quia homo, & animal rationale sunt idem realiter, sed distinguntur formaliter, quod enim significatur confusè per ly homo significatur distinctè per ly animal rationale.

4. Definitio est triplex, alia essentialis, alia causalis, alia descriptiva.

Definitio essentialis est oratio declarans essentiam rei per genus, & differentiam. Genus est praedicatum essentiale, quod res definita habet commune cum alijs rebus. Differentia est praedicatum essentiale, quod distingvit, & discernit rem definitam à quacunque alia re hæc definitio homo est animal rationale, est essentialis, quia declarat essentiam hominis per animal, quod est genus, & rationale quod est differentia.

5. Definitio causalis est oratio, que de-

clarat rem per aliquam ejus causam. Quatuor sunt causæ: materialis, formalis, finalis, & essentialis, de quibus agemus in Physica.

6. Definitio descriptiva, que potius vocatur descriptio, quam definitio, est illa, per quam significatur qualis res sit: Hujusmodi est secundum plures Theologos definitio fidei, quam tradit Paulus Apost. est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

7. Hinc colliges cum Aristotele in 6. Top. ad bonam definitionem tria esse necessaria, quorum unum si deficiat est mala definitio, quia bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus. Primo ut omnis definitio sit clarius re definita: ratio est, quia definitio utimur ad declarandam rem definitam, ergo conceptus definitivus debet esse clarius re definita, aliter ignotum explicaretur per ignotius, vel à quæ ignotum, quod repugnat, Secundo ut definitio convertatur cum re definita, adeoque à definito ad definitionem valeat mutua consequentia; ut est homo; ergo animal rationale: est animal rationale; ergo homo. Tertio, ut nihil deficiat ex ijs que per-

tinent ad essentiam rei, & nihil sit superfluum: hæc definitio *homo est animal rationale coloratum*, est mala, quia *ly coloratum* est superfluum, non enim declarat essentiam hominis.

8. Duplex modus argumentandi defumitur à definitione: unus est: de quo cunque prædicatur definitum, prædicatur definitio; & de quo eunque prædicatur definitio, prædicatur definitum: ita de Petro, de quo affirmatur homo, affirmatur etiam animal rationale, & de quo negatur homo, negatur etiam animal rationale, ut patet. Alius modus argumentandi est: de omni eo, de quo prædicatur definitum, vel definitio, prædicatur etiam quicquid dicitur de definitione, vel definito: ut *homo est capax beatitudinis, ergo animal rationale est capax beatitudinis.*

CAPUT X. ET ULTIM.

1. **D**ivisio est oratio totum distribuens in suas partes. Dicitur oratio ad differentiam divisionis Physicæ, quæ fit, quando per mortem anima dividitur à corpore, vel per gladium aliquod li-

gnum

gnum tecatur in duas partes; divisio enim Logica, de qua loquimur, est illa, quæ fit mente, & voce, quando aliquid totum distribuimus in singulas partes: ut hæc oratio, qua dico, *bonum aliud esse utile, aliud jucundum, aliud honestum,* est divisio boni, quod vocatur divisum in tria enumerata bona, quæ vocantur membra dividentia.

2. Divisio alia est generis in species, alia totius in partes, alia subjecti in accidentia. Divisio generis in species tunc fit, quando prædicatum universale dividitur in prædicata minus universalia, de quibus essentialiter prædicatur, ut divisio animalis in rationale, & irrationale: hinc est, quod divisio essentialis fit in partes, quæ differunt essentialiter. Divisio totius in partes fit, quando aliquod totum dividitur in partes Physicas, ut divisio hominis in corpus, & animam, vel partes continuas, quæ vocantur quantitativæ; ut divisio ligni bipalmatis in duos palmos. Divisio subjecti in accidentia fit, quando subjectum in varia accidentia dividitur, quæ subjecto inhærent, ut divisio hominis in doctū, & indoctū, liberalem, & avarum.

3. Hinc

3. Hinc colliges, hæc esse observanda pro bona divisione. Primò singula membra divisionis debent esse inferiora diviso, quia divisum debet latius patere, quām singulæ partes, in quas dividitur, ideo divisi animalis in rationale, & irrationale est bona, quia magis latè patet animal, quām rationale: è contrariò divisio animalis in sensitivum, & rationale, est mala, quia sensitivum æquè latè patet ac animal, omne enim animal sentit. Secundò omnia membra dividentia debent esse æqualia diviso, adeo ut nihil contineatur sub diviso, quod non includatur in membris dividentibus: hinc est, quod divisio animalis in hominem, & cervum non est bona, quia membra dividentia non adæquant divisum. Tertiò divisio fieri debet in membra dividentia, quorum unum ab altero sit diversum; hinc est quod divisio animalis in rationale, & risibile non est bona, quia risibile est idem ac rationale.

4. Primus modus argumentandi in divisione est arguere ab affirmatione divisi ad affirmationem alicujus ex membris dividentibus, & vice versa ab affir-

ma-

matione alicujus ex membris dividentibus ad affirmationem divisi. Ratio est, quia non potest de aliqua re affirmari genus, quin affirmetur aliqua species sub illo genere contenta: ita animal, quod est genus, & totum divisum, non potest affirmari de equo, quin affirmetur, vel rationale, vel irrationale, quæ sunt membra dividentia: similiter de quocunque affirmatur aliqua species, affirmatur etiam genus, ita de Petro, de quo affirmatur rationale, affirmatur etiam animal.

5. Secundus arguendi modus est argumentari à negatione divisi ad negationem membrorum dividentium, & è contrario, cum hoc tamen discrimine, ut procedendo à negatione divisi ad negationem membrorum dividentium, liceat negare omnia membra simul, & seorsim accepta: procedendo verò à negatione membrorum dividentium non liceat procedere ad negationem divisi, nisi à negatione omnium: ut *lapis non est animal* valet consequentia: *ergo non homo*: rursus valet alia consequentia *ergo lapis non est homo*, neque *leo &c.* È contrario non valet *lapis non est equus*, ergo

ergo non est animal, quia homo non est equus, & tamen est animal; valet verò: lapis non est equus, neque homo, neque aliqua species animalium, ergo lapis non est animal.

6. Tertius arguendi modus est ab affirmatione divisi, & negatione unius membra dividentis ad affirmationem alterius: ut *animal est rationale, vel irrationalis, sed homo est animal non irrationalis, ergo est animal rationale.*



RARS

P A R S II.

De secunda intellectus operatione.

Absolutis in primà parte quæ spectant ad Terminorum cognitionem, gradum facimus ad secundam intellectus operationem, per quam judicamus de rebus apprehensis affirmativè, vel negative.

C A P U T. I.

De Nominе, Verbo, & Oratione.

Nomen definitur ab Aristotele in primo Perihermenias cap. 2. *Est vox significativa ad placitum sine tempore; cuius nulla pars separata est significativa, finita, & recta.*

2. Dicitur vox significativa ad placitum, ad excludenda suspiria, & alias similes voces, quæ naturaliter significant affectus internos. Dicitur sine tempore ad excludenda omnia verba, quæ significant cum tempore, ut dicetur infra: Per illas particulæ: *cuius nulla pars separata est significativa, excluduntur Orationes, quarum partes separatæ significant. Per ultimas particulæ finita & recta excluduntur omnes casus obliqui, & o-*

G mnes

mnes termini infiniti, qui ut optimè notat ibidem Aristoteles non possunt appellari nomina eò, quòd nihil determinate significant. Rationem cur casus obliqui non sunt nomen, affert Aristoteles, quia nomen propriè est illa pars orationis, quæ addito verbo facit orationem veram, vel falsam, sed solùm rectum facit orationem veram, vel falsam, ut patet in hac propositione *Pries est albus*, ergo &c. hinc est, quòd casus obliqui ingrediuntur orationem tanquam casus nominum, non tanquam nomina.

3. Verbum definitur: *est vox significativa ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata est significativa, finita, & recta, & est eorum, quæ de altero dicuntur nota.*

4 Dicitur verbum *esse vox significativa cum tempore*, quia nullum est verbum, quod non significet rem esse; vel fieri in aliquo tempore præsenti, præterito, vel futuro. Dicitur *esse nota eorum quæ de altero dicuntur*, quia verbum conjungit unum Terminum cum alio, quod fit in propositione affirmativa, vel separat unum ab alio, quod fit in negativa.

5. O-

5. Obijc: Dantur aliqua nomina, quæ significant tempus ut *dies, hora*, & dantur alia nomina, quæ important tempus, ut *cœna, prandium*, quæ significant comedionem vespertinam, & matutinam, ergo nomen est vox significativa cum tempore.

6. Respondeatur: distingvo antecedens, dantur aliqua nomina, quæ important tempus significando, vel connotando tempus, concedo antecedens, significando cum tempore, nego antecedens, & consequentiam. Ratio est, quia significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore sunt res diversæ: hoc nomen *dies* significat tempus, sed non significat cum tempore; hoc nomen *cœna* connotat tempus, quia significat comedionem factam tempore vespertino, sed non significat cum tempore, quia id est proprium solius verbi habentis vim significandi actionem factam in tempore præsenti, præterito, vel futuro.

7. *Oratio est vox significativa ad placitum, cuius partes separatae sunt significativa* Ita Card. Toletus in l. p. cap. 16. Dicitur *partes separatas esse significativas*

C 2

quia

92 De Nom. Verb. & Orat.

quia per hoc distinguitur oratio à nomine, quod partes orationis idem significant separatae ac conjunctae.

3. Oratio dividitur in perfectam, & imperfectam. Perfecta est illa, quæ facit sensum perfectum, nec relinquit animum auditoris suspensum: ut Petrus studet. Oratio imperfecta est illa, quæ facit sensum imperfectum, & relinquit animum auditoris suspensum, ut si Petrus studeret.

4. Oratio perfecta alia est, in qua est verum, vel falsum, quales sunt omnes orationes judicativa, ut Petrus est doctus, alia est, in qua non invenitur verum, vel falsum, sicuti sunt orationes imperativæ, & optativæ. Utinam studeres: fac ut studeas; Ratio patet cur in ipsis non sit verum, vel falsum, in illis vero sit, quia dicenti Petrus est doctus: respondetur tu dicas verum, vel falsum: dicenti vero Utinam studeres non respondetur dicas verum, vel falsum: ergo oratio judicativa est illa, in qua est verum vel falsum, secus oratio optativa.

C A-

Summul. Pars II. Cap. II.

62

C A P U T II.

Quid sit Propositio, & quotuplex sit.

1. **O** Ratio enunciativa nihil est aliud, quam propositio quæ intellectus iudicat prædicatum esse, vel non esse in subjecto.

2. Propositio alia est simplex, alia composita, sive Hypothetica. Propositio simplex, quæ appellatur Categorica, & absoluta est illa, in qua de uno subjecto affirmatur vel negatur unum prædicatum ut homo est animal, quod si prædicatum significet aliquid distinctum ab esse, propositio vocatur de tertio adjacente, ut homo est doctus. si vero prædicatum significet aliquid indistinctum ab esse, propositio vocatur de secundo adjacente, ut Petrus existit.

3. Propositio composita, sive Hypothetica est illa, quæ componitur ex pluribus propositionibus simplicibus: ut Petrus currit, & Paulus studet. Propositio composita dividitur in disiunctivam, copulativam, conditionalem, & causalem.

4. Propositio disiunctiva est illa, quæ componitur ex duabus propositionibus simili-

C 3

patis

54 De Nom, Verb. & Orat.

plicibus conjunctis particulâ disiunctivâ vel;
ut Petrus studet, vel Paulus currit.

5. Propositio copulativa est illa, quæ
componitur ex duabus simplicibus conjunc-
tis particulâ copulativâ &; ut Petrus cur-
rit, & Paulus studet. Hinc colliges ad
propositionem copulativam non requiri
duplex prædicatum formaliter, & ex-
plicitè, sufficit enim duplex subjectum
formaliter, & explicitè: ut Petrus, &
Paulus currunt: ideo propositio *omnis
homo currit* non est copulativa, licet
virtualiter, & implicitè contineat plu-
ra subiecta.

6. Propositio conditionalis est illa, in
qua unum affirmatur, vel negatur sub con-
ditione alterius, ut si petam ab amico li-
brum, dabit. Prima pars conditionalis;
quæ exprimitur per particulam *si* ex. gr.
si petam librum vocatur conditio, secun-
da pars, nimirum *dabit librum* vocatur
conditionatura.

7. Propositio causalis est illa, in qua
inveniuntur duæ propositiones cum parti-
cula causali quia ut: *quia sol est, dies est*,
prima propositio vocatur antecedens, &
secunda consequens; ratio est, quia in-
tellectus formando propositionem cau-
falem

Summul. Pars II. Cap. III. 55

falem implicitè, & virtualiter discurrit,
quicumque enim dicit *quia sol est, dies*
est arguit ex solis splendentis præsen-
tiâ lucis diurnæ existentiam.

C A P U T III.

De materia, forma, quantitate, &
qualitate Propositionis.

1. IN qualibet re naturali solent Philo-
sophi quatuor considerare, mate-
riam, ex qua res est facta, formam, per
quam res est, passiones, & proprietates
ab eadem re provenientes, quæ vocan-
tur qualitates; denique magnitudinem,
sive quantitatem, ut in homine con-
siderant corpus, quod est materia, ani-
mam, quæ est forma, colorem, qui est
qualitas, & magnitudinem, quæ est
quantitas: eodem modo quatuor con-
siderant Logici in omni propositione,
quæ est aliquod totum Logicum, vide-
licet materiam, formam, qualitatem, &
quantitatem.

2. Materia propositionis sunt Ter-
mini, quia propositio componitur ex Ter-
minis, quia verò Termini, hoc est, sub-
jectum, & prædicatum possunt inter se
ita comparari, ut prædicatum semper,

G 4

vel

vel nunquam sit in subjecto, vel aliquando sit, aliquando non sit, ideo triplex datur materia, videlicet necessaria, quando prædicatum semper est in subjecto, ut *homo est animal*, contingens, quando prædicatum aliquando est, aliquando non est in subjecto, ut *homo est albus*; remota, quando prædicatum nunquam est, nec potest esse in subjecto, ut *homo est equus*.

3. Forma nihil est aliud, quam verbum, sive copula connectens subjectū, & prædicatum ideo in hac propositione *homo est animal*, ly est habet rationem formæ, quia per ipsam fit compositum hoc logicum, quod vocatur propositio.

4. Qualitas propositionis est affirmatio, & negatio, quia omnis propositio dividitur in affirmativam, & negativam.

5. Quantitas propositionis est restitutio, vel extensio principalis subjecti, sicuti enim quantitas hominis est ejus magnitudo, ita quantitas propositionis est illa, per quam cognoscitur, an principale subjectum extendatur ad multa, vel pauca.

6. Quadruplex est quantitas propositionis, videlicet universalis, ut *omnis homo*

homo est animal; indefinita, ut *homo est animal*; particularis, ut *aliquis homo currit*; singularis, ut *hic homo currit*. Ex quo patet subjectum hujes propositionis: *homo est animal*; modò extendi, modò restringi ad significandum plures, vel pauciores homines.

7. Hinc colliges primò, hanc propositionem *omnis homo est animal esse in materia necessaria*, quia necesse est, omnem hominem esse animal, secundùm qualitatem esse affirmativam, secundùm quantitatem esse universalem.

8. Colliges secundò, propositionem indefinitam in materia necessaria æquivalere propositioni universalis: ut hæc propositio *homo est animal*, æquivalat isti: *omnis homo est animal*: in materia verò contingentí æquivalere particuliari: ut *homo currit* æquivalat isti propositioni: *aliquis homo currit*. Ratio est, quia in propositione necessaria prædicatum semper ac necessariò est in subjecto, secus in contingentí, ergo prædicatum in propositione necessaria debet affirmari de omnibus inclusis in subjecto, quod affirmari non debet in propositione contingentí.

9. Præcipua proprietas omnium propositionum est veritas, vel falsitas; nam nulla sit propositio, quæ non sit vera, vel falsa. Ratio est, quia propositio vera est propositio conformis objecto, hoc est, quæ judicat rem esse, sicuti verè est; propositio falsa est propositio disformis objecto; hoc est quæ judicat rem esse aliter ac est, sed omnis propositio est conformis, vel disformis objecto, ergo omnis propositio est vera, vel falsa: ita hæc propositio *Petrus studet* est vera, vel falsa quia si Petrus studet est vera, si non studet, falsa.

10. Propositio copulativa est vera, si utraque simplex sit vera: est falsa si una tantum sit falsa: ut hæc propositio copulativa: *Petrus studet, & Paulus currit* est vera Petro studente, & Paulo currente, quòd si Paulus non currat, etiam si Petrus studeat, propositio est falsa; ratio est, quia bonum desumitur ex integra causa, malum verò ex singulis defectibus ideo ut propositio sit vera requiritur veritas omnium partium, ut sit falsa, sufficit falsitas unius.

11. Propositio disiunctiva est vera, si una ex duabus simplicibus sit vera: è

con-

contrariò est falsa, si neutra est vera: ut hæc propositio disiunctiva *Petrus currit, vel Paulus sedet* est vera currente Petro, etiam si Paulus non sedet, est falsa si neque Petrus currat, neque Paulus sedeat. Ratio est, quia per propositionem disiunctivā affirmatur currere Petrum, & sedere Paulum sub disiunctione.

12. Hinc colliges, quòd in propositione disiunctiva valet semper argumentari à falsitate unius propositionis simplicis ad veritatem alterius, ut *Petrus currit, vel Paulus sedet, sed Petrus non currit, ergo Paulus sedet*. Non valet è contrariò universaliter, hoc est, in omni catu arguere à veritate unius ad falsitatem alterius, quia utraque propositio potest esse vera.

13. Ut autem à veritate unius partis ad falsitatem alterius consequentia sit optima, necesse est propositionem disjunctivam constare ex terminis contradictoriè oppositis vel formaliter, vel illative. Ratio est satis manifesta, quia prædicata contradictoriè opposita non possunt esse simul vera, neque possunt esse simul falsa, alioquin nulla esset necessitas, ut quælibet res sit, vel non

60 De Materia Propositionis.

fit; nullaque esset repugnantia, ut idem sit, & simul non sit. Hinc est veritatem unius partis in ijs, quæ componunt oppositionem contradictoriam, esse falsitatem alterius, atque adeò ex veritate unius partis necessariò inferri necessitate consequentiæ falsitatem alterius; quod non habet locum in cæteris propositionibus disiunctivis, quæ non constant ex prædicatis vicissim oppositis. Hæc igitur propositio disiunctiva: *Petrus orat, vel non orat;* est talis naturæ, ut in hunc modum liceat arguere. *Est verum Petrum nunc orare, vel nunc non orare: sed est verum Petrum nunc orare;* ergo non est verum Petrum nunc non orare. Apud veteres dialecticos invenies, propositionem disiunctivam non esse verā, si omnes ejus partes non sint veræ: id autem est aperte falsum, nisi sermo sit de illis propositionibus, quæ constant ex terminis vicissim oppositis: quis enim dicat hanc propositionem à Christo formatam: *ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ego sum non esse disiunctivam,* eamque non esse veram etiamsi duo hic, & tres alibi orent?

14. Pro-

Summa. Pars II. Cap. III. 61

14. Propositio conditionalis affirmat, vel negat aliquid ex suppositione alicuius conditionis, quæ vocatur Hypothesis, ideò veritas vel falsitas desumi debet ab illa re, quam affirmat futuram, vel non futuram: ita hæc propositio conditionalis *Si petam ab amico librum dabit est vera, si facta suppositione, quod ego petam librum, amicus vere dabit.*

15. Hinc colliges, quod propositio conditionalis nihil ponit in esse, quia id quod affirmat non est absolute, sed tantum conditionatè futurum. Præterea conditionatum transit in absolutum purificata conditio, hoc est existente ea re, quæ venit ex parte Hypothesis.

16. Modus, quo arguitur in re præsenti, est hujusmodi. *Si petam ab amico librum, dabit: sed petam ab amico librum; ergo amicus dabit librum.* Hujusmodi Syllogismus est Hypotheticus, & optimè concludit; quia ut dicam in Tertia Parte cap. 2. num 8. necesse est ut consequens sit verum, si antecedens est verum; consequens autem in hoc, & similibus Syllogismis est illa propositio, in qua affirmatur, vel negatur extitram in statu absoluto rem hypotheticè

67

enun-

enunciatam: antecedens, unde insertur hujusmodi consequens, constat ex geminis propositionibus, quarum una enunciat conditionatē rem futuram. vel non futuram, altera enunciat conditionem absolute ponendam, vel absolute non ponendam, ex quibus efficitur, ut conditionatum sit absolute ponendum, vel non absolute ponendum. Cavendum tamen est, ut propositio, quæ purificat conditionem, non assumat ad eam purificandam aliam hypothesim, quæ destruat propositionem hypotheticam; alioquin nihil concludetur, ut videtur est, in hoc Syllogismo, qui est ineptus ad concludendum; falsum enim ex verò concludit. *Si peterem ab amico liberum daret: si peterem, & ipse non daret, ego peterem: ergo si peterem, & non daret, daret:* quod est apertè impossibile.

17. Propositio causalis est vera, si illud, quod affirmatur esse causam alterius, vere est causa illius. Hæc propositio causalis, quia *sol est, dies est*, est vera, quia præsentia solis est causa, cur dies sit: è contrario est falsa, si illud, quod affirmatur esse causam, vere causa non est: ut hæc propositio homo quia est

est animal, discurrevit: est falsa, quia non est verum, rationem cur homo discurrevit esse, quia est animal: hinc est quando propositio causalis potest esse falsa, etiamsi utraque simplex sit vera, ut patet in exemplo proposito.

18. Modus arguendi in propositione causalī est satis similis modo arguendi in propositione conditionali: ratio est manifesta ex natura utriusque propositionis; quia hoc est discriminē inter utramque propositionem, quod causalis duo enunciat, quorum unum est causa, cur sit aliud; conditionalis autem duo enunciat, quorum unum ponetur, alio posito; quidquid sit an unum sit, vel non sit causa alterius; id enim materialiter se habet ad conceptum propositionis conditionalis: idcirco non est minus hypothetica propositio, in qua enunciatur aliquid futurum sub hypothesi disparata, hoc est sub ea hypothesi, quæ nihil omnino conducit ad existentiam conditionati, quam sit hypothetica illa, in qua enunciatur aliquid futurum sub hypothesi conducente ad existentiam conditionati. Hinc omnis propositio causalis infert necessariò hypoth-

64 De Materia Propositionis.

theticam; non omnis hypothetica infert causalem: ita hæc propositio, quia *Sol est, dies est* infert istam: si *Sol est dies est*, è contrario ista hypothetica. Si *Turca saltabit, Petrus convertetur*; non infert hanc causalem: *Quia Turca saltabit, Petrus convertetur*. Eodem igitur modo philosophandum est de argumentatione, quæ fundatur in propositione causalí, ac de modo, quo sumus philosophati de argumentatione, quæ fundatur in propositione hypothetica.

19. Quia verò propositio, quæ semper, & essentialiter est vera, adeoq; dicitur æternæ veritatis est in materia necessaria, quæ semper, & essentialiter est falsa, est in materia remota, sive impossibili, quæ autem contingenter est vera, hoc est ita vera, ut possit esse falsa, est in materia contingentí, ideo propositio copulativa, quæ constat ex dupli simplici in materia necessaria, est etiam in materia necessaria: ut *homo est rationalis & leo est rugibilis*: quæ constat ex duabus simplicibus in materia remota sive impossibili, vel una necessaria, & alia impossibili, est in materia impossibili: ut *homo est rugibilis, & leo est rationalis*: quæ con-

Summul. Pars II. Cap. III. 65

constat ex duabus in materia contingentí, quæ possunt simul verificari, vel altera necessaria, & altera contingentí, est similiter in materia contingentí, ut *Petrus currit, & Paulus studet*. Dixi propositionem copulativam esse in materia contingentí, si componitur ex duabus simplicibus in materia contingentí, quæ possunt simul verificari, si enim non possint simul verificari, etiamsi utraque propositio sit in materia contingentí; propositio copulativa erit in materia impossibili, ut patet in hac propositione: *Petrus sedet, & non sedet*, quæ est in materia impossibili; adeoque semper falsa, etiamsi contingens sit, Petrum sedere, & contingens sit, non sedere.

20. Propositio disiunctiva est in materia necessaria, quando una saltem ex propositionibus simplicibus est in materia necessaria; ut *Petrus currit, vel homo est animal*. Ratio est, quia ad veritatem propositionis disiunctivæ satis est, si una tantum sit vera. E contrario non potest esse in materia impossibili, nisi utraque sit in materia impossibili: ratio est, quia propositio disiunctiva non potest esse falsa, nisi utraque

sit falsa. Tunc dicitur esse in materia contingentи quando vel utraque simplex est in materia contingentи, *ut Petrus currit, vel Paulus non currit*, vel altera est in materia contingentи, altera in materia impossibili: ut *vel equus est rationalis, vel Petrus currit*; ratio est, quia Ihuusmodi propositio neque est necessariò vera, neque necessariò falsa, currente enim Petro est vera, non currente est falsa.

21. Hinc colliges propositionem disjunctivam posse aliquando fieri ex terminis contradictorijs, *ut Petrus sedet, vel non sedet*, aliquando ex Terminis disparatis, *ut Petrus currit, vel Paulus sedet*: si fiat ex terminis contradictorijs, valet consequentia à falsitate unius ad veritatem alterius: & è contrariò à veritate unius ad falsitatem alterius; quod si fiat ex Terminis disparatis, valet quidem consequentia à falsitate ad veritatem, sed non à veritate ad falsitatem, ut dictum est in hoc eodem cap. num.

II.

22. Propositio conditionalis est in materia necessaria, quando posità *purificatà* conditione necessariò ponitur

con-

conditionatum; ut hæc propositio *si homo existit, est animal rationale*, quia necessere est hominem esse animal rationale, quando existit: est in materia impossibili, quando posità conditione impossibile est poni conditionatum, ut hæc propositio: *si equus existit, est animal rationale*, quæ est necessariò falsa: tunc est in materia contingentи, quando posità conditione potest esse, vel non esse conditionatum; ut hæc propositio: *si petam ab amico librum, dabit*, quæ potest esse vera, vel falsa, quia posità conditione potest liber dari, vel non dari.

23. Propositio causalis est in materia necessaria, quando affirmatur effectum procedere ab aliqua causa, à qua necessariò procedit, ut hæc propositio *quia sol lucet dies est*; necessere enim est, ut causa diei sit solis præsentia: in materia impossibili est, quando affirmatur aliquid procedere ab alio, à quo procedere non potest; ut *quia sol lucet, est nox*: fieri enim non potest, ut præsentia solis sit causa noctis: tunc est in materia contingentи, quando affirmatur aliquid esse causam alterius, quod ab eo potest non procedere, *ut amicus donat librum, quia roga-*

68 De Oppositione Propositionum.
rogatur; potest enim contingere, ut
non rogatus donet.

C A P U T IV. De Oppositione Propositionum.

1. **O**pposito, de qua in præsenti agimus, est illa quæ versatur inter duas propositiones, & definitur esse duarum propositionum utroque extremo eodem ordine participantium secundum qualitatem, vel quantitatem repugnantia. Ex hac definitione sequitur propositiones non habere inter se oppositionem, nisi habeant eisdem terminos retinentes eamdem suppositionem.

2. Opposito hæc Logica, est quadruplices, videlicet contradictoria, contraria, subcontraria, & subalterna.

3. Opposito contradictoria est duarum propositionum oppositio secundum qualitatem, & quantitatem repugnantium. Illæ propositiones dicuntur habere repugniam in qualitate, & quantitate, quarum una est affirmativa, altera negativa, una universalis, altera particularis, vel utraque singularis: *ut omnis homo currit, aliquis homo non currit, vel hic homo currit, hic homo non currit,*

4. Op-

Summul. Pars II. Cap. IV. 69

4. Oppositio contraria est duarum propositionum universalium secundum qualitatem repugnantium oppositio, hoc est, quarum una est affirmativa, altera negativa: ita istæ propositiones universales *omnis homo currit, nullus homo currit* sunt contrariæ.

5. Oppositio subcontraria est oppositio duarum propositionum particularium secundum qualitatem repugnantium, ut aliquis homo currit: aliquis homo non currit: quæ propositiones sunt ambæ particulares, & una affirmat, quod altera negat, ideo dicuntur subcontrariæ, & habent oppositionem subcontrariam.

6. Oppositio subalterna est duarum propositionum secundum quantitatem oppositio: ut *omnis homo currit: aliquis homo currit*: istæ duæ propositiones opponuntur subalterne, quia utraque est affirmativa, & una universalis, altera particularis: eodem modo opponuntur subalterne istæ duæ negativæ: *omnis homo non currit, aliquis homo non currit*.

7. Notandum hic est, quod in omni oppositione diligenter debemus observare, ne fiat alia mutatio inter propositiones oppositas, præter quan-

tum

70 De Oppositione Propositionum.


titatem, & qualitatem: ratio est, quia ut una propositio habeat oppositionem cum alia, debet in una poni totum id, quod in alia ponitur, exceptis ijs, in quibus opponuntur; sed propositiones habentes aliquam oppositionē non opponuntur, nisi secundūm quantitatem, & qualitatem, quia contrādictoriæ opponuntur: secundūm quantitatem, & qualitatem, contrariæ, & subcontrariæ secundūm qualitatem; subalternæ secundūm quantitatem; ergo non debet fieri mutatio, nisi in quantitate, & qualitate. Hinc est, quod istæ propositiones *omnis homo currit, aliquis homo non currit velociter*, non sunt contrādictoriæ, licet opponantur in quantitate, & qualitate, quia nimis ponitur aliquid in una propositione, quod in altera non sicut politum videlicet ly *velociter*.

8. Majoris claritatis gratia describitur sequens figura, ex qua poteris cognoscere oppositionem propositionum.

Omnis

Summul. Pars. II. Cap. IV.

71



Hinc colliges primò, non esse idem duas propositiones esse contrādictorias, & habere prædicata contrādictoria: ita istæ propositiones *Petrus currit: Paulus non currit*, habent prædicata contrādictoria, quia currere & non currere sunt termini contrādictoriij: sed propositiones non sunt contrādictoriæ, quia habent subjecta diversa.

9. Colliges secundò hanc esse regulā pro formandis contrādictorijs. Quando subjectum alicujus propositionis simplis est solus terminus categorematicus, tune

72. *De Oppositione Propositionum.*

tunc formatur contradictoria ponendo particulam negativam immediate post subjectum propositionis simplicis: ut *Petrus currit* contradictoria est *Petrus non currit*: quando autem subjectum est aliquis terminus syncategorematicus & mixtus, tunc particula negativa poni debet ante totam propositionem: ut *omnis homo currit*, contradictoria non est: *omnis homo non currit*, sed ista *non omnis homo currit*, quæ æquivalet huic: *aliquis homo non currit*.

10. Oppositio contradictoria inter propositiones Hypotheticas nimirum causales, & conditionales in eo consistit, quod particula negativa ponatur ante particulam conditionalem, & eausam, ut patet his exemplis: *Si petam ab amico librum, dabit*: ejus contradictoria est ista, *non si petam ab amico librum dabit*: contradictoria hujus propositionis causalis, *quia sol lucet, dies est*, est ista: *non quia sol lucet, dies est*.

11. Alia regula tradi debet pro disjunctivis, & copulativis. Contradictria propositionis copulativæ est duplex propositio simplex contradicens duplii propositioni formanti unam copula-

Summūl. Pars II. Cap. V. 73

pulativam, simul cum particula disjunctiva vel. Exemplum sit: *Petrus currit, & Paulus studet*: ad quærendam contradictoriam hujus propositionis copulativæ, formanda est propositio contradictoria propositionis simplicis *Petrus currit*, quæ est *Petrus non currit*, & similiter formanda est propositio contradicens alteri simplici *Paulus studet*, quæ est *Paulus non studet*, & istæ duæ propositiones conjungendæ sunt per particulam disjunctivam: *Petrus non currit, vel Paulus non studet*, quæ propositio contradicit illi copulativæ: *Petrus currit, & Paulus studet*.

C A P U T V.

De Proprietatibus Oppositionis contradictoriae, contrariae, subcontrariae, & subalternae.

1. Prima regula pro oppositione contradictoria est hujusmodi. Propositiones contradictoriæ non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ: ideo hæ propositiones *omnis homo currit, aliquis homo non currit*, non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Ratio est, quia

D idem

idem non potest esse simul, & non esse, ergo non potest Petrus simul currere, & non currere, sed si propositiones contradictoriarum essent simul veræ, Petrus simul curreret, & non curreret; quia si est vera hæc propositio: *aliquis homo non currit* debet esse aliquis, qui vere non currat, & hujusmodi sit Petrus, de quo probatur simul currere, si est vera contradictoria *omnis homo currit*: ergo duæ contradictoriarum non possunt esse simul veræ, idem sequitur, si essent simul falsæ, ergo non possunt esse simul falsæ.

2. Hinc colliges ex veritate unius contradictoriarum inferri falsitatem alterius, ideo ex affirmatione unius sequitur negatio alterius, concessâ enim tanquam verâ istâ propositione *omnis homo currit*, neganda est tanquam falsa ejus contradictoria: *aliquis homo non currit*; eodem pacto, ex falsitate unius sequitur veritas alterius, si enim est falsa hæc propositio universalis: *omnis homo currit*, est verâ particularis: *aliquis homo non currit*.

3. Secunda regula pro propositionibus contrarijs est ista. Propositiones contrariarum non possunt esse simul veræ, sed possunt esse simul falsæ. Ratio, cur

non

non possunt esse simul veræ est quia si contrariarum essent simul veræ, essent pariter veræ contradictoriarum, sed contradictoriarum non possunt esse simul veræ, (ut ostensum est) ergo neque contrariarum. Major probatur, quia si sunt simul veræ istâ duæ contrariarum: *omnis homo currit*, *nullus homo currit*, sunt etiam veræ *omnis homo currit*, *aliquis homo non currit*, quia in hac universalis: *omnis homo currit*, invenitur particularis: *aliquis homo currit*, & in hac universalis *nullus homo currit*, invenitur particularis *aliquis homo non currit*. Ratio vero, cur contrariarum possunt esse simul falsæ est, quia ut sit falsa propositio universalis *omnis homo currit*, sufficit, si unus tantum homo videlicet Petrus non currat. rursus ut sit falsa hæc universalis negativa *nullus homo currit*, sufficit, si unus tantum currat videlicet Paulus, sed Petrum non currere, & Paulum currere verificatur sine ulla contradictione, ergo duæ contrariarum possunt esse simul falsæ.

4. Hinc colliges, à veritate contrariarum valere consequentiam ad falsitatem alterius, ideo quicunque concedit hanc propositionem, *omnis homo currit* debet

D2

nega-

76 De Oppositione Propositionum.

negare contrariam: *nullus homo currit*. A falsitate vero unius contrariæ, non valet consequentia ad veritatem alterius, quia duæ contrariæ possunt esse simul falsæ, ut demonstratum est: ideo qui negat universalem affirmativam, non tenetur concedere universalem negativam.

5. Tertia regula traditur pro subcontrariis, quæ possunt esse simul veræ, sed non possunt esse simul falsæ. Ratio cur propositiones subcontrariæ *aliquis homo currit*, *aliquis homo non currit*, possunt esse simul veræ, est, quia si Petrus currit, est vera affirmativa *aliquis homo currit*; si Paulus non currit, est vera negativa: *aliquis homo non currit*: sed potest esse simul verum, quod Petrus currat, & Paulus non currat, ergo propositiones subcontrariæ possunt esse simul veræ. Ratio cur non possint esse simul falsæ, est, quia si duæ subcontrariæ essent simul falsæ, duæ contrariæ essent simul veræ, quia si est falsa hæc affirmativa *aliquis homo currit*, est vera contradictoria: *nullus homo currit* si est falsa negativa: *aliquis homo non currit* est vera contradictoria *omnis homo currit*, quæ duæ propositiones universales sunt contrariae.

6. Hinc

Summui. Pars II. Cap. V.

6. Hinc colliges valere consequētiā à falsitate unius subcontrariæ, ad veritatem alterius, non valere consequentiā ab unius veritate ad falsitatem alterius.

7. Quarta Regula pro propositionibus subalternis est ista. Quando propositio universalis, quæ vocatur subalternans est vera, etiam particularis, quæ vocatur subalternata est vera, quando vero subalternans, sive universalis est falsa, non sequitur particularē sive subalternatam esse falsam. Ratio est, quia si est vera hæc Propositio: *omnis homo currit*, non potest esse falsa particularis: *aliquis homo currit*, aliter esset vera contradictoria *nullus homo currit*, id autem est impossibile, quia sequitur duas contrarias esse simul veras. Quod autem particularis sive subalternata possit esse vera, licet universalis, sive subalternans sit falsa, demonstratur, quia supponendo esse falsam universalem *omnis homo currit*, non sequitur esse falsam particularem *aliquis homo currit*, ratio est, quia licet non possit esse falsa ista universalis *omnis homo currit*, nisi sit vera particularis negativa *aliquis homo non currit*,

78 De Oppositione Propositionum.

nihilominus possunt esse veræ istæ particulares *aliquis homo currit*: *aliquis homo non currit*, quia sunt subcontrariæ.

8. Hinc colliges à veritate propositionis subalternantis valere consequentiam ad veritatem subalternatæ, non valere à falsitate subalternantis ad falsitatem subalternatæ.

9. Quæres, quam oppositionem habent istæ propositiones: *omnis homo currit*; *Petrus non currit*.

10. Respondetur habere oppositionem contrariam, ratio est quia illæ propositiones habent oppositionem contrariam, quæ possunt esse simul falsæ, non simul veræ: sed istæ propositiones possunt esse simul falsæ, quia potest simul contingere, ut Petrus currat, quo currente evadit falsa propositio singularis, & simul Paulus non currat, quo non currente evadit falsa universalis; ergo istæ propositiones sunt contrariæ: idem dico de illis propositionibus *omnis homo currit*, *pauci homines non currunt*.

CA-

Summul. Pars II. Cap. VI.

79

C A P U T . VI.

De Äquipollentia, & Conversione Propositionum.

1. **A** Equipollentia propositionum nihil aliud est quam æquivalentia duarum propositionum, quia est idem duas propositiones esse æquipollentes, & esse æquivalentes hoc est habere eandem significationem. Istæ duæ propositiones *omnis homo currit*, *nullus homo non currit* dicuntur æquipollentes, quia habent eandem significationem, idem enim significatur per unam propositionem, ac per aliam: rursus hæc propositio *non omnis homo currit* æquivalet isti, *aliquis homo non currit*.

2. **C**onversio, quæ est una ex proprietatibus propositionum, bene definitur: esse duarum propositionum, unius ad alteram, per terminorū transpositionem consequentia necessaria: ut hæc propositio: *nullus homo est equus* convertitur in istam: *nullus equus est homo*.

3. Termini dicuntur transponi in conversione, quia prædicatum illius propositionis, quæ convertitur, & vocatur conversa, fit subjectum propositionis,

D4

30 De Aequipoll. & Convers. Proposit.
tionis, in quam convertitur, & vocatur
propositio convertens, & è contrariò
subjectum conversæ fit prædicatum con-
vertentis.

4. Conversio dividitur in conversi-
onem simplicem, conversionem per
accidens, & conversionem per contra-
positionem.

5. Conversio simplex fit, quando ser-
vatà eādem quantitate, & qualitate ter-
mini transponuntur: hujusmodi conver-
sio datur in propositione universalis ne-
gativa; & particulari affirmativa, quæ
quando convertuntur dicuntur simpli-
citer converti, ut hæc propositio uni-
versalis negativa: *nullus homo est lapis*,
convertitur in istam: *nullus lapis est homo*:
& ista particularis affirmativa: *aliquis ho-
mo est animal*, convertitur in hanc: *ali-
quod animal est homo*; inter istas propo-
sitiones, quæ convertuntur simpliciter
valet consequentia mutua, sicuti dictū
est de terminis convertilibus, valet
enim consequentia à propositione con-
versa ad convertentem, & à converten-
te ad conversam, sicuti enim valet: *nul-
lus homo est lapis*, ergo *nullus lapis est homo*:
ita etiam valet: *nullus lapis est homo*, ergo
nullus homo est lapis.

6. Con-

Summul. Pars II. Cap. VI. 31

6. Conversio per accidens fit quando
servatà qualitate, sed mutatà quantitate
termini transponuntur: hujusmodi con-
versione convertuntur universalis affir-
mativa, & universalis negativa. quæ
dicuntur converti per accidens, quia fa-
ctâ transpositione terminorum univer-
salis affirmativa, mutatur in particula-
rem affirmativam, & universalis nega-
tiva, in particularem negativam: ita
hæc affirmativa universalis: *omnis homo*
est animal, convertitur in hanc. particu-
larem affirmativam: *aliquod animal est*
homo, similiter & negativa universalis:
nullus lapis est homo convertitur in par-
ticularem *aliquis homo non est lapis*: à
propositione conversa, valet conse-
quentia ad convertentem, non verò à con-
vertente ad conversam; ita valet, *omnis ho-
mo est albus*, ergo *aliquod album est ho-
mo*: non valet, *aliquod album est homo*,
ergo *omnis homo est albus*.

7. Conversio per contrapositionem, fit
quando manente eādem quantitate, &
qualitate propositionis termini transponun-
tur, & fiant infiniti: hujus conversio-
nis sunt capaces universalis affirmativa,
& particularis negativa; ita hæc propo-
fitio

D 5

32 De *Æquipoll.* & *Convers.* *Proposit.*
sitio universalis omnis homo est animal
convertitur in hanc: *omne non animal*
est non homo: hæc particularis: *aliquis*
homo non est albus, convertitur in istam:
aliquid non album, non est non homo.

8. Omnes istæ conversiones, ut facilius retineantur; duobus sequentibus versibus exprimuntur.

Simpliciter fEcI: convertitur Eva per accidens
Asto per contra: sic fit conversio tota,

9. Hi duo versus qui sunt obscurissimi, ut patet, explicari debent per alia duo carmina, quibus declaratur vis significandi, quæ est in singulis vocalibus ex quibus componuntur illæ tres voces *Feci*, *Eva*, & *Asto*.

Afferit A, negat E, sunt universaliter ambæ
Afferit I, negat O, sunt particulariter ambæ

10. Vocalis *A* significat propositionem universalē affirmativam, vocalis *E* universalē negativam, vocalis *I* particularem affirmativam, & vocalis *O* particularem negativam. In hac voce *Feci* inveniuntur duæ vocales *E* & *I*, ideo sensus est, propositionem universalē negativam, & particularem affirmativam converti simpliciter. In

hac

Summl. Pars II. Cap. VII. 88
hac voce *Eva*, inveniuntur duæ vocales *E* & *A*, ideo sensus est, propositionem universalē affirmativam, & universalē negativam, converti per accidens. Præterea in hac voce *Asto* inveniuntur duæ vocales, *A* & *O*, quæ significant, universalē affirmativam, & particularem negativam converti per contrapositionem.

C A P U T VII.

De Propositionibus modalibus.

1. **P**ræter propositiones simplices & compositas, quæ vocantur propositiones de inesse, dantur propositiones modales, in quibus judicatur prædicatum esse in subjecto cum aliquo modo, sive determinatione: ita hæc propositio: *necessæ est hominem esse animal*, est modalis, quia non solum judicat prædicatum esse in subjecto, quod est omnibus propositionibus commune, sed etiam judicat modum, quo prædicatum est in subjecto, nimirum necessitatem, quam habet homo, ut sit animal.

2. **T**riplex datur modus propositionis modalis, sicuti triplex datur materia propositionis simplicis, nimirum

necessarium, impossibile, & contingens, sive possibile. ita hæc propositio: *necessè est hominem esse animal*, est de modo necessariò: hæc propositio: *impossibile est hominem esse equum*, est de modo impossibili, & ista propositio: *possibile est hominem currere*, est de modo possibili.

3. Colliges primò in hac propositione modali *necessè est hominem esse animal* inveniri modum & dictum. Modus est *ly necessè est*, dictum verò est, *ly hominem esse animal*. Quod dictum est de ista propositione: *necessè est hominem esse animal*, intelligendum est de quacumque alia propositione modali.

4. Colliges secundò pro cognoscenda quantitate, & qualitate propositionum modalium, cognoscendum esse modum, non dictum, si enim modus est affirmativus, propositio modalis est affirmativa, licet dictum sit negativum, ut hæc propositio: *necessè est hominem non esse equum*, est affirmativa. Hinc est, quòd ad formandam propositionem contradictoriam alicujus modalis, debet poni particula negativa ante modum: ut *possibile est hominem currere*: contradictria est ista: *non est possibile hominem currere*.

5. Col-

5. Colliges tertìò duos modos esse universales, nimurum *necessarium* & *impossibile*, unum particularem, videlicet *possibile* sive *contingens*. Hinc est, quòd propositio de modo necessario & impossibili est universalis, de modo possibili sive contingentí est particularis.

6. Aliqua sunt notanda circa veritatem, & falsitatem propositionum modalium, ideo aliquas regulas perspicuas, & faciles trademus ad earum veritatem cognoscendam.

7. Prima regula est: propositio modalis de modo necessario est vera, quando dictum ejus propositionis resolvitur in propositionem de inesse in materia necessarià: exemplum sit: Hæc propositio: *necessè est hominem esse animal*, est modalis de modo necessario, ut patet; eadem est vera, quia dictum propositionis, nimurum *hominem esse animal* resolvitur in istam propositionem simplicem: *homo est animal*, cuius materia est necessaria, videlicet necessaria connexio inter subjectum, & prædicatum. E contrario est falsa propositio de modo necessario, quando dictum resolvitur in propositionem simplicem, in materia

D7

con-

contingenti, sive impossibili; ut hæc propositio: *necessè est hominem esse equum;* & ista: *hominem currere est necessè,* est utraque falsa, quia dictum primæ propositionis, resolvitur in propositionem simplicem in materia impossibili; & dictum secundæ in propositionem simplicem in materia contingenti.

8. Secunda Regula est: propositio modalis de modo impossibili est vera, quando propositio, in quam resolvitur ejus dictum, est in materia impossibili: ita hæc propositio: *impossibile est hominem esse equum,* est vera propositio, quia ista propositio; *homo est equus* in quam resolvitur dictum propositionis modalis, est in materia impossibili, è contrariò est falsa, quando propositio, in quam dictum resolvitur, vel est necessaria, vel contingens: ut *est impossibile hominem currere,* & ista alia; *est impossibile hominem esse animal.*

9. Tertia Regula est: propositio de modo possibili sive contingenti tunc est vera, quando propositio simplex, in quam resolvitur dictum propositionis modalis, non est impossibilis: ita hæc propositio *possibile est Petrum currere* est vera,

vera, quia hæc alia propositio *Petrus currit*, quæ constituit dictum modalis, non est impossibilis. Illa autem est falsa, cuius propositio de inesse est impossibilis: ut *hominem esse equum est possibile,* propositio est falsa, quia ista propositio: *homo est equus,* est impossibilis.

10. Quarta & ultima Regula pro omnibus propositionibus est ista. Omnes modales veræ sunt necessariæ, & omnes modales falsæ sunt impossibilis. Ratio est, quia omnes modales, vel sunt de modo necessario, vel de modo impossibili, vel de possibili, sive contingenti: sed nulla est modalis de modo necessario vera, quæ non sit necessaria, quia si hæc propositio: *necessè est hominem esse animal,* est vera, datur necessitas, ut homo sit animal, adeoque propositio modalis est necessaria: idem valet de propositione modali de modo impossibili vera, quia si hæc propositio est vera: *hominem esse equum est impossibile* datur impossibilitas, ut homo sit equus, sed impossibilitas, ut homo sit equus est necessitas, ut homo non sit equus, ergo propositio affirmans hanc impossibilitatem est necessaria: quod autem hoc idem

De Proposit. Exponibilibus,
idem valeat de modo possibili & contingenti demonstratur, quia si hæc propositio: *possibile est hominem currere*, est vera, necessariò existit possibilitas cursus, ergo illa propositio: *possibile est hominem currere* non potest esse vera, nisi sit necessaria. Eodem prorsus arguento ostenditur modales falsas esse impossibles: unde sequitur non esse idem propositionem modalem esse necessariam, & esse de modo necessario, ut patet.

CAPUT VIII. ET ULTIM.

De Propositionibus Exponibilibus.

1. Propositiones exponibiles sunt illæ, quæ ob aliquem terminum vel signum in eis inclusum continent æquivalenter plures propositiones; dicuntur exponibiles, quia cum habeant sensum obscurum, debent explicari per propositiones clariores, quæ continentur in illis. Hujusmodi sunt propositiones exclusivæ, exceptivæ, & reduplicativæ, de quibus aliqua brevissime dicemus, ut nihil sit, de quo non fuerit à nobis tractatum in summulis.

2. Propositiones exclusivæ, quæ modificantur aliquo signo exclusivo,
qua-

quale est, tantum, solum, & similia, sunt in duplii differentia: aliæ sunt, quæ dicuntur de prædicato excluso, & hujusmodi sunt, in quibus signum modificans propositionem ponitur ante prædicatum, ut hæc propositio: *homo est tantum animal rationale*: aliæ sunt, quæ dicuntur absolute, & simpliciter exclusivæ, in quibus nimis signum excludens ponitur ante subjectum propositionis, ut hæc propositio: *solis justus salvabitur*.

3. Hinc colliges variari sensum propositionis exclusivæ, quando signum ponitur ante prædicatum, & quando ponitur ante subjectum, ut patet in istis propositionibus: *Apostoli sunt tantum duodecim*: tantum *Apostoli sunt duodecim*: prima enim est vera, quia exponitur per hanc copulativam: *Apostoli sunt duodecim*, & *Apostoli non sunt plures*. Secunda est falsa, quia resolvitur in istam copulativam falsam: *Apostoli sunt duodecim*, & *nulli alij præter Apostolos, sunt duodecim*.

4. Debemus hic tradere modum resolvendi propositiones exclusivas, ut pateat earum oppositio.

5. Quan-

90. *De Proposit. Exponibiliis.*

5. Quantum ad exclusivas de prædicato excluso facile est eas resolvere, si auferatur signum, & à prædicato removatur quilibet aliis numerus, vel quæcunque alia res, ut hæc propositio: *Apostoli tantum sunt duodecim* resolvitur hoc pacto: *Apostoli sunt duodecim, & non sunt plures.*

6. Major difficultas est in resolvendis propositionibus simpliciter exclusivis, pro quarum resolutione sciendum est; hujusmodi propositiones alias esse, in quibus affirmatur signum, & copula propositionis, & propterea vocantur integræ affirmativæ, ut hæc propositio: *tantum homo est animal rationale*, alias esse, in quibus tam signum, quam copula negatur, & vocantur integræ negativæ, ut hæc propositio: *non tantum homo non est animal rationale*, alias, quæ unam negationem habent, vel ante signum, ut hæc propositio: *non tantum homo est animal rationale* vel ante copulam, ut hæc propositio: *tantum homo non est animal rationale*.

7. Propositiones integræ affirmativæ resolvuntur per copulativas, quarum una constat ex eodem prædicato, & subiecto,

Sammal. Pars II. Cap. VIII. 91

jecto, ablato signo excludente, alia constat ex eodem prædicato, & termino, qui sit oppositus subiecto, ita hæc propositio: *homo tantum est animal rationale* debet resolvi in duas propositiones: *homo est animal rationale*, & *nihil aliud ab homine distinctum est animal rationale*.

8. Propositiones negativæ de signo, & affirmativæ de copula resolvuntur in duas disjunctivas contradictoriæ oppositas duabus copulativis, in quas resolvuntur exclusivæ integræ affirmativæ: ut hæc propositio: *non tantum homo est animal rationale* resolvitur in duas disjunctivas: *vel homo non est animal rationale*, *vel aliquid ab homine distinctum est animal rationale*. Ideo ad resolvendam propositionem exclusivam, quæ est affirmativa de copula, & negativa de signo, necesse est invenire propositionem exclusivam, quæ fit integra affirmativa, eamque resolvere, ut dictum est in duas copulativas, quarum contradictoriæ cum particula disjunctiva *vel*, sunt illæ propositiones, in quas resolvitur exclusiva resolvenda.

9. Hinc colliges contradictoriam hujus propositionis: *solus homo currit*, & simi-

92 De Proposit. Exponibiliis.

Similium esse hanc disjunctivam: vel homo non currit, vel aliquid ab homine distinctum currit. Ratio est, quia non possunt esse simul veræ, & simul falsæ, sed altera est necessariò vera, & altera necessariò falsa, si enim nullus currat erit falsa prima, hoc est exclusiva, & vera secunda, videlicet disjunctiva, nullo enim currente verum est hominem non currere, adeoque vera est illa pars propositionis disjunctivæ, vel homo non currit: quod si homo currit, & nihil distinctum ab homine currit, vera erit exclusiva, & disjunctiva, ut patet; rursum si homo non currat, & currat aliquid distinctum ab homine vera erit disjunctiva, & falsa exclusiva: ergo necesse est, unam ex illis propositionibus esse veram, & alteram falsam, quod erat demonstrandum.

10. Propositiones exclusivæ, quæ sunt affirmativæ de signo, & negativæ de copula, resolvi debent in duas copulativas, eo modo, quo dictum est resolvi integras affirmativas. Propositiones integræ negativæ, resolvuntur in duas disjunctivas contradictoriè oppositas duabus prioribus copulativis. Exemplum

fit:

Summul. Pars II. Cap. VIII. 93


Fit: solus homo non est rationalis: hæc propositio resolvitur in hanc copulativam; homo non est rationalis, & aliquid distinctum ab homine non est rationale. Hæc propositio integra negativa: non solus homo non est animal rationale, resolvitur in istam contradictionem præcedentis: vel homo est rationalis, vel aliquid distinctum ab homine non est rationale.

11. Propositiones reduplicatiæ sunt illæ, in quibus invenitur aliquod signum, quod ponit aliquid supra terminum præcedentem: hujusmodi signa sunt, *quatenus*, *in quantum*, *prout*, & similia, quæ dicuntur reduplicare terminum, ante quem ponuntur; ita hæc propositio: *Omnis homo quatenus rationalis est risibilis*, est reduplicativa; ejus contradictionia est ista: *non omnis homo quatenus rationalis, est risibilis*. Prima propositio, quæ est tota affirmativa, resolvitur in istam causalem: *omnis homo quia est rationalis, est risibilis*; secunda negativa resolvitur in propositionem causalem similiter negativam: *non quia homo est rationalis, est risibilis*. Præterea propositio reduplicativa, quæ est negativa de copula, & affirmativa de signo resolvitur

tur

tur in causalem affirmativam de solo consequenti negato; ut hæc propositio *homo quatenus rationalis, non est risibilis*; debet resolvi in istam causalem: *homo quia est rationalis non est risibilis*: ejus contradictoria est negativa de signo, & copula: *homo non quatenus rationalis non est risibilis*; quæ resolvitur in causalem negativam de consequenti negato: *non quia homo est rationalis; non est risibilis*.

12. Propositiones exceptivæ, quæ modificantur aliquando signo exceptionis, quale est, *præter*, & aliud simile, parum differunt ab exclusivis, ideo sunt resolvendæ eodem modo, ac resolvuntur exclusivæ.



PARS

P A R S III.

De tertia operatione Intellectus.

Absolutis ijs, quæ pertinent ad primam, & secundam intellectus operationem, aggredimur ea, quæ spectant ad tertiam operationem, quæ vocatur discursus, eo, quod intellectus ab una veritate cognita, progreditur ad aliam incognitam: quemadmodum enim homo movetur localiter relinquendo unū locum, & acquirendo alium, ita movetur intentionaliter, quatenus per discursum procedit ab uno cognito, ad aliud incognitum.

Intellectum humanum esse discursivum ex eo manifestè constat, quòd experientia demonstrat unam rem ex alia inferri, ita quicunque fumum videt, statim infert dari ignem. Hic discursus dividitur in virtualem, & formalem. Discursus virtualis est unus, & indivisibilis actus, quo intellectus cognoscit unam veritatem objectivam ex alia: ita hæc cognitio, quâ cognosco diem esse, quia sol lucet, vocatur discursus virtualis, quia ita cognoscit has duas veritates, nimirum diem esse, & solem lucere,

ut

ut unum cognoscat ex alia. Discursus formalis componitur ex pluribus cognitionibus realiter distinctis, quarum una cognitio infertur ex alia. *ut: Petrus est homo, ergo est animal*

Hinc colliges tria requiri ad formam discursum, primò, quòd sint plures cognitiones realiter distinctæ, secundò, quòd una cognitio sit post aliam, tertio, quòd una sit ex alia: ideo si quis cognoscat Petrum esse hominem, deinde cognoscat esse animal, non discurrit, quia licet cognoscat unum post aliud, non cognoscit unum ex alio. De discursu formali, qui pertinet formalissimè ad tertiam intellectus operationē, sermo erit in hac postrema parte summularum, in qua breviter, & dilucidè omnia examinabimus, quæ pertinent ad bene argumentandum.

C A P U T I. Quid sit Argumentatio?

I. *A*rgumentatio, quæ est unus ex tribus modis sciendi dicitur esse præcipuum instrumentum, quod adhibere solemus in quacumque materia, ad probandas veritates ignotas, & falsitatem

tem improbandam: alio nomine appellatur consequentia, quia formalissimè consistit argumentatio in quadam illativa unius veritatis ex alia, quæ vis significatur per hanc vocem ergo, quæ proinde vox vocatur particula illationis.

2. Argumentatio in genere, prout abstrahit ab hac vel illa specie argumentationis definitur à Toleto l. i. cap. 3. *est oratio, in qua, unum est alio consequitur* significatur: ideo hæc oratio: *Petrus est homo, ergo est animal* vocatur argumentatio, quia ratione illius particulæ ergo, quæ est ante secundam propositionem, significatur Petrum esse animal, quia est homo, eò, quòd esse hominem, formalissimè sit esse animal.

3. Hinc colliges in omni argumentatione tres partes esse necessarias, videlicet propositionem, quæ infertur, propositionem, ex qua infertur, & particulam illativam, quæ explicat consequentem unius ex alio, & solet appellari nota consecutionis, sive consequentia. Prima Propositio, ex qua infertur secunda, vocatur consequens, hoc est ea propositio, quæ sequitur ex altera. Hinc

est aliud esse consequens, aliud consequentiam; consequens est illa propositio, ante quam ponitur particula illativa, consequentia vero est ipsa vis illativa, quæ dicitur illatio, sive argumentatio. Ex hac diversitate, quæ est inter consequens, & consequentiam, fit ut, prima propositio sive sit concedenda, sive neganda, sive distingvenda, semper dicatur concedo, vel nego, vel distinguo antecedens; secunda vero propositio, si concedenda vel neganda sit, dicatur concedo, vel nego consequentiam, si distingvenda dicatur: distinguo consequens, & deinde adhibitæ distinctione concedo, vel nego consequentiam. Ratio est evidens ex dictis, quia consequentia consistit in indivisibili, cum nihil aliud sit, quam vis illativa, adeoque non est capax distinctionis, unde sit, ut absolute sit vera, adeoque concedenda, vel absolute falsa, adeoque neganda, consequens vero, quia est propositio, est capax distinctionis; ideo distincto consequenti conceditur, vel negatur consequentia.

4. Antequam progrediamur ad tradendas singulas species argumentatio-

Summul. Pars III. Cap. I. 99
nis, debemus statuere, quid sit consequentia formalis, & consequentia materialis, adeoque quando argumentatio concludat ratione materiæ. & quando concludat ratione formæ.

5. Consequentia materialis est oratio, in qua, unum ex altero verè infertur ob solam rerum, atque terminorum connexionem, ut hæc argumentatio est consequentia materialis: *aliquis homo est animal, ergo Petrus est animal.*

6. Consequentia formalis est oratio, in qua, unum ex altero infertur, non solùm propter connexionem rerum, vel terminorum, sed etiam propter modum inferendi unum ex alio, qui modus appellatur forma, ita hæc consequentia est formalis: *omnis homo est animal; sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal.*

7. Ratio cur hæc consequentia: ergo *Petrus est animal*, quæ deducitur ex duabus propositionibus præcedentibus appelletur consequentia formalis, & illa consequentia, ergo *Petrus est animal*, appelletur consequentia materialis, ratio inquam est, quia ideo præcisè infertur bene Petrum esse animal, ex eo, quod aliquis homo est animal, quia datur

necessaria connexio inter hominem, & animal, adeoque si sumantur termini non habentes inter se connexionem necessariam, quamvis servetur eadem dispositio terminorum, consequentia est mala, & falsa, ut patet in hoc argumen-
to: *aliquis homo currit; ergo Petrus currit,* consequentia enim non valet, quia pos-
t est esse verum, quod aliquis homo cur-
rat, & Petrus non currat: ergo in tan-
tum ista consequentia est bona: *aliquis
homo est animal: ergo Petrus est animal,*
in quantum materia hujus argumenti
sunt termini, qui habent connexionem
inter se necessariam. Ergo praedicta con-
sequentia est bona materialiter, videlicet
ratione materiae, adeoque vocatur
consequentia materialis.

3. Ex alia parte ratio, cur bene infe-
ratur conclusio in hoc arguento: *omnis homo est animal, sed Petrus est homo,
ergo Petrus est animal.* Ratio (inquam)
non est connexio necessaria inter ho-
minem, & animal, sed est talis dispositio
terminorum, ut servata eadem disposi-
tione terminorum, in quacunque alia
materia, necessario inseratur vera, & bo-
na consequentia, adeoque concessâ ma-

jori;

Summar. Pars III. Cap. II. 701
jori, & minori propositione, non pos-
sit negari consequentia.

C A P U T II.

Quotuplex sit argumentatio.

1. **Q**uartuor sunt argumentationis spe-
cies, in quas dividitur argumentatio genericè accepta, videlicet exem-
plum, induc̄tio, Enthymema, & Syllo-
gismus.

2. Exemplum, est consequentia ab u-
no singulati, ad alterum simile, unde
hæc consequentia vocatur exemplum:
*Deus pepercit Ninivitis pænitentibus; ergo
etiam nobis parcet, si agemus pænitentiam.*

3. Induc̄tio, est argumentatio ab infe-
rioribus, sive particularibus sufficienter
enumeratis, ad superiora, sive univer-
alia; unde hoc argumentum est induc̄tio:
*bic ignis calefacit, ille ignis calefacit, &
nullus est ignis, qui non calefaciat, ergo o-
mnis ignis calefacit.*

4. Enthymema definitur à Boëtio:
*est oratio, in qua non omnibus præmissis pro-
positis, festinata conclusio infertur.* Hoc ar-
gumentum componitur, ex duab-
us propositionibus, quarum prima vo-
catur antecedens, & secunda conse-
quentia.

E;

guens;

quens, ut Petrus est homo, ergo est animal.

5. Syllogismus, qui est perfectissimus argumentandi modus, definitur ab Aristotele in primò l. Prior. c. 1. *Est oratio, in qua quibusdam positus, aliud quid à positis necesse est contingere, eo quod hæc sint.*

6. Hinc colliges, primò : tres propositiones requiri ad formandum Syllogismum, quarum duæ primæ vocantur præmissæ, & habent rationem antecedentis respectu tertiaræ, quæ vocatur consequens, sive conclusio, quia inferunt, & sequitur ex præmissis; ut patet in hoc Syllogismo : *Omne animal est vivens, sed omnis homo est animal, ergo omnis homo est vivens.* Prima Propositio : *omne animal est vivens* vocatur major; secunda propositio : *sed omnis homo est animal*, vocatur minor; tertia propositio : *ergo omnis homo est vivens*, vocatur consequentia.

7. Colliges secundò : tres conditiones requiri ad bonum Syllogismum : primò ut consequentia necessariò sequatur, ex dispositione præmissarum; ita ut servatā cùdem terminorum dispositione, in qua-

cun-

cunque materia, semper sequatur, quòd est consequentiam sequi sorn aliter, & non solum materialiter, ut dictum est c. i. n. 6. secundò : ut id quod sequitur ex dispositione præmissarum, sit propositio distincta à præmissis; tertio : ut sequatur præcisè ex præmissis, quæ sunt positæ in Syllogismo, adeoque non debat poni alias Terminus, vel alia propositio, ut sequatur consequentia.

C A P U T III.

De regulis Generalibus bona Consequentiae.

1. Antequam de Syllogismo copiosius agamus, necesse est tradere aliquas regulas, quæ inserviunt ad discernendas consequentias bonas à malis. Hujusmodi regulæ fundantur in quibusdam primis principijs, quorum primum est hoc.

2. Ex vero non sequitur nisi verum : hoc est, in bona consequentia si antecedens est verum, etiam consequens est verum. In hoc principio fundatur prima regula, quæ est ista : Si antecedens est necessarium, consequens etiam est necessarium, quòd si antecedens est possi,

possibile, vel contingens, consequens etiam est possibile, vel contingens. In hoc argumento: *homo currit, ergo moverit* ex antecedenti possibile, sive contingenti infertur consequens possibile, sive contingens, sicuti enim contingit hominem currere, ita contingit hominem moveri. In hoc argumento: *Homo est animal, ergo est vivens*, antecedens est necessarium, & consequens etiam necessarium, quia necesse est hominem esse viventem. Hinc colliges consequentiam non esse bonam, quando antecedens est verum & consequens falsum: *et Petrus est homo, ergo est Angelus.*

3. Secundum Principium est: falsum non sequitur nisi ex falso. In hoc principio fundatur alia regula bonae consequentiae, quae est ista: si consequens est falsum, antecedens etiam est falsum, alioquin falsum sequeretur ex non falso contra hujus principij veritatem. Ratio, cur falsum non sequitur nisi ex falso est manifesta, quia ex vero non potest sequi falsum, ut ostensum est in hoc eodem capite numero secundo; sed ex vero potest sequi falsum, si falsum possit sequi ex eo, quod non est falsum,

ergo

ergo falsum non sequitur nisi ex falso, adeoque vel nulla est consequentia unius propositionis ab alia, vel ex falsitate consequentis sequitur falsitas antecedentis, idcirco ab opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, quia ergo ex homine infertur animal, si falsum est, aliquid esse animal, erit etiam falsum, esse hominem. Ratio à priori hujus doctrinæ est, quia nullum verum potest cohærere cum falso: Si ergo aliquid est falsum, erit etiam falsum id, unde sequitur, alioquin verum cohæret cum falso, quod repugnat.

4. Hinc colliges quod antecedens est impossibile si consequens est impossibile, ut patet in hoc argumento: *lapis est homo, ergo est animal*; consequentia est optima, sed quia consequens est impossibile, cùm impossibile sit lapidem esse animal ex impossibilitate consequentis sequitur impossibilitas antecedentis.

5. Præterea si consequens est contingens, vel possibile, antecedens non est necessarium: ratio est, quia quod est necessarium verum, non potest esse falsum, quod autem est contingenter ve-

rum,

rum, potest esse falsum, ergo si consequens esset contingens, & antecedens necessarium, posset consequens esse falsum, quando antecedens est verum, adeoque falsum sequeretur ex vero contra idem principium.

6. Tertium principium est: ex falso potest sequi ut verum, vel falsum. Hoc principium est ita intelligendum, ut faciat hunc sensum: In bona consequentia potest fieri, ut aliquando ex antecedente falso inferatur consequens verum, ut patet in hoc argumento: *homo est lapis, ergo est substantia*; consequentia est bona, & consequens est verum, licet antecedens sit falsum. In hoc principio fundatur tertia regula, quæ est hujusmodi. Ex antecedente impossibili potest inferri consequens aliquando impossibile, aliquando contingens, aliquando necessarium. Exemplum consequentis impossibilis est hoc: *Equus est homo, ergo est animal rationale*; consequentia est bona, sed consequens est impossibile, sicuti est impossibile antecedens. Exemplum contingentis est: *homo volat, ergo movetur*. Consequentia est bona, & consequens est contingens,

licet

Summul. Pars III. Cap. III. 107
licet antecedens sit impossibile. Exemplum consequentis necessarij est: *equus est homo, ergo est animal*: consequens est necessarium, & antecedens impossibile.

7. Quartum principium est: Consequens verum inferri potest aliquando ex antecedenti vero, aliquando ex antecedenti falso. In hoc principio fundatur quarta regula videlicet consequens necessarium infertur aliquando ex antecedenti impossibili, ut: *equus est homo, ergo est animal* aliquando ex necessario, ut: *equus est hinnibilis, ergo est animal*: aliquando etiam ex contingenti ut: *equus currit, ergo est animal*.

8. Quinta regula est hujusmodi: In bona consequentia ex contradictorio consequentis bene infertur contradictorium antecedentis, non autem ex contradictorio antecedentis, contradictorium consequentis, ut in hac consequentia, quæ est optima: *est homo, ergo est animal*; valet argumentatio à contradictorio consequentis, ad contradictorium antecedentis, hoc pacto: *non est animal, ergo non est homo*; at è contrario non valet *non est homo, ergo non est animal*.

9. Sexta, & ultima regula est ista
Quidquid infertur ex consequenti, in-
fertur ex antecedenti, & ex quocunque
infertur antecedens, infertur etiam
consequens: ita in hac consequentia
est homo, ergo animal: quia ex animali
infertur vivens, ex vivente, substantia
ideo ex homine infertur vivens, & sub-
stantia, adeoque est legitima hæc con-
sequentia. *Homo est animal, & animal*
est vivens, & vivens est substantia, ergo
de primo ad ultimum homo est substantia.
Eodem pacto quando antecedens, ex
quo in bona consequentia infertur con-
sequens, infertur ex alio antecedenti,
idem consequens infertur ex eodem
antecedenti, ut: *Petrus est animal, ergo*
est vivens; quia hoc antecedens: *Petrus*
est animal, infertur ex alio antecedenti,
videlicet: *Petrus est homo*; ex hoc eodem
antecedenti: *Petrus est homo*, infertur
prædicatum consequens: *ergo est vi-*
vens.

C A P U T . IV.

De principijs præcipuis syllogismi.

I. PRÆCIPUAM speciem argumentationis diximus esse syllogismum, qui si bene conficiatur, juxta leges bene syllogizandi (quas infra trademus) non possunt esse veræ dux præmissæ, quæ habent rationem antecedentis, quin sit vera consequentia: unde sequitur, non posse sine manifesta contradictione, negari consequentiam, concessâ utrâque præmissâ, quando argumentum est in forma. Tota difficultas est in tradenda arte bene syllogizandi, quâ cognitâ facile erit discernere syllogismos bene concludentes, à syllogismis sophisticis, & fallacibus. Hanc artem tradituris in capitibus sequentibus, necessarium nobis est de illis agere, ex quibus componitur syllogismus.

2. Principium alicujus rei dicitur illud, à quo res habet esse: hujusmodi est duplex, aliud intrinsecum, quod vocatur intrinsecum constitutivum rei, ut anima est principium intrinsecum hominis, quia intrinsecè constituit hominem: aliud est principium extrinsecum

E2

160 *De principiis syllogismi.*

quod videlicet requiritur, ut res sit, quamvis non pertineat ad intrinseca eius constitutiva, idea domus, quam habet artifex in mente, dum fabricat domum, dicitur principium extrinsecum domus. De principijs extrinsecis cujus cunque syllogismi agemus in cap. praesenti, de intrinsecis in sequenti.

3. Principia extrinseca, quae regulant omnes syllogismos, sunt duo principia universalissima, & nota lumine naturae, quae ab Aristotele, in lib. I. Prior. c. I. appellantur: *dici de omni*, & *dici de nullo*, sive *dictum de omni*, & *dictum de nullo*.

4. *Dici de omni* nihil aliud formalissimè est, quam prædicatum, quod dicitur de subjecto universali, dici de singulis in subjecto inclusis, ut patet iste exemplo. Hoc prædicatum: *animal*, in ista propositione: *omnis homo est animal*, dicitur de subjecto universali, hoc est, de omni homine; ideo debet dici de Petro, qui est homo: hinc est, quod iste syllogismus, qui regulatur ab hoc principio est optimus: *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal*,

5. *Dici*

Summus. Pars III. Cap. IV.

5. Dici de nullo nihil aliud formalissimè est, quam prædicatum, quod negatur de subjecto universali, negari etiam de singulis inclusis in subjecto: ita hoc prædicatum *binnibile*, in ista propositione: *nullum rationale est binnibile*, negatur de subjecto universali, hoc est, de omni rationali, ideo negari debet de homine, qui est rationalis, ut patet in hoc syllogismo: qui est optimus. *Nullus rationale est binnibile, sed omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est binnibilis*.

6. In his duobus principijs fundatur tota vis syllogistica, quia eatenus est bona consequentia à præmissis ad conclusionem, quatenus verum est prædicatum, quod affirmatur, vel negatur de subjecto universali, affirmari etiam vel negari de singulis in subjecto universali inclusis.

7. Syllogismi alij sunt affirmativi, in quibus conclusio est affirmativa, alij negativi, in quibus conclusio est negativa. Syllogismi affirmativi, regulantur ab hoc principio: *dici de omni*, quod principium est affirmativum; syllogismi negativi regulantur ab alio principio: *dici de nullo*, quod est negativum.

8. Obij-

222 De principijs syllogismi.

3. Obijcies contra hanc doctrinam. Syllogismus expotorius, est optimus syllogismus, ut patet in hoc argumento: *Hic homo currit, sed Petrus est hic homo; ergo Petrus currit.* Sed iste syllogismus affirmativus non regulatur ab hoc principio dici de omni, quia non continet propositionem universalem, ergo falsum est, omnem syllogismum affirmativum, regulari ab hoc principio: dici de omni.

9. Respondeo concedo majorem, & distingvo minorem: Syllogismus expotorius non continet formaliter, & explicitè aliquam propositionem universalem, concedo minorem, non continet æquivalenter, & implicitè: nego minorem, & consequentiam. Syllogismus expotorius est ille, qui formatur ex propositionibus habentibus quantitatem singularem: una ex propositionibus, quæ formant hunc syllogismum, debet esse saltem æquivalenter universalis, ut syllogismus bene concludat; idèò in prædicto syllogismo major propositio: *hic homo currit*, æquivalet propositioni universalis: *quidquid est hic homo, currit.* Hinc redditur ratio à Theologis,

cuc

Summul, Pars III. Cap. V.

223
eur non liceat argumentari in mysterio Sanctissimæ Trinitatis, in hunc modum: *Hic Deus est Pater, Sed filius est hic Deus, ergo Filius est Pater.* Quia major propositio, si facit sensum universalem, ut debet facere si syllogismus bene concludit, est falsa, quia non quidquid est hic Deus, est Pater, cùm Filius, & Spiritus Sanctus, qui non sunt Pater, sint Deus.

C A P U T. V.

De principijs intrinsecis syllogismi.

1. **S**icuti omnes res naturales, quæ sunt aliquod compositum Physicum, componuntur ex materia, & forma, ita syllogismus, qui est compositum Logicum, componitur ex materia, & forma, tanquam ex principijs intrinsecis, quæ propterea in materialia, & formalia dividuntur.

2. Principia materialia alia sunt remota, ut termini, ex quibus formantur propositiones, alia proxima, ut propositiones, quæ formant syllogismos.

3. In quolibet syllogismo debent esse tres termini tantum, & propositiones, quæ sunt duæ præmissæ, quia omnis

syllo-

274 De Principijs syllogismi.

syllogismus est oratio instituta ad probandum veritatem alicujus propositionis, adeoque ad probandum duos terminos esse inter se connexos, quod contingit in propositione affirmativa, vel non esse inter se connexos, quod accedit in negativa: id autem probari non potest, nisi assumatur aliquod tertium extremum, cum quo ostendantur esse connexa duo extrema proposita; ita ad probandum connexionem inter hos duos terminos: *homo*, & *vivens*, debet assumi alias tertius terminus, cum quo illi connectuntur. Ex. gr. *animal*, & ex connexione hominis, & viventis cum animali inferatur connexionio hominis, & viventis inter se. Hinc est, quod in omni syllogismo præmissæ continent connexionem duorum terminorum cū uno tertio, qui deinde connectuntur in conclusione, ut patet in hoc syllogismo: *Omnis animal est vivens*, *Sed omnis homo est animal*, *Ergo omnis homo est vivens*. hi duo termini *homo*, & *vivens*; qui inferuntur connexi in conclusione, connectuntur in præmissis cū uno tertio, nimirum cum hoc termino *animal*. Hic tertius terminus appellatur

eius

Summul. Pars III. Cap. V. 275

tur medius terminus, qui habet duplarem locum, videlicet in majori, & minori: ille terminus, qui connectitur cum medio termino in majori vocatur majus extreum, & ille, qui connectitur cum medio in minori, vocatur minus extreum.

4. Hinc colliges in syllogismo prædicto hunc terminum, *animal*, esse medium, quia ponitur in majori, & minori. Terminus *vivens*, est majus extreum, & terminus *homo*, est minus extreum: hi duo termini *vivens*, & *homo*, connectuntur cum hoc termino *animal*: qui est medius terminus, unus in majori, & aliis in minori.

5. Principia formalia syllogismi nihil aliud sunt, quam forma syllogistica, videlicet figura, & modus.

6. Figura est dispositio terminorum secundum debitam subjectionem, & prædicationem, quemadmodum enim in quantitate superficies, quæ clauditur tribus lineis vocatur figura; ita in argumentis connexionis trium terminorum inter se, vocatur figura.

7. Modus est ordinatio propositionum inter se secundum certainam qualitatem,
&

116 De figura, & modus syllogiz.
& quantitatem. Hinc est, quod iste modus syllogizandi: *Omne animal est vivens; sed aliquis homo est animal, ergo aliquis homo est vivens.* Est diversus ab hec alio argumentandi modo. *Omne animal est vivens, sed omnis homo est animal, Ergo omnis homo est vivens.* Ratio diversitatis est, quia materia proxima priui syllogismi, est duplex propositio una universalis, altera particularis, cum in secundo syllogismo utraque sit universalis: isti duo syllogismi dicuntur esse in eadem figura, quia eadem terminorum dispositio servatur in utroque.

C A P U T VI.

Quotuplex sit figura, & modus syllogizandi.

1. Figura syllogismi est triplex juxta triplicem dispositionem medijs termini cum reliquis duobus terminis.

2. Prima figura est illa, in qua medius terminus est subjectum in majori, & praedicatum in minori, quam figuram Aristoteles dicit esse omnium nobilissimam, ut patet in hoc syllogismo: *Omne rationale est risibile, Sed omnis homo est rationale, Ergo omnis homo est*

risible.

Summul. Pars III. Cap. VI. 117
risibilis. Vbi ly rationale, quod est medius terminus est subjectum in majori, & praedicatum in minori.

3. Secunda figura est illa, in qua medius terminus est praedicatum in majori, & minori, ut patet in hoc syllogismo: *Nulla planta est animal, Sed omnis homo est animal, Ergo nullus homo est planta.* Ubi ly animal, quod est medius terminus, est praedicatum in utraque premissa.

4. Tertia figura est illa, in qua medius terminus est subjectum in majori, & minori, ut patet in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal, Sed omnis homo est vivens: Ergo aliquid vivens est animal.* Ubi ly homo, qui medius terminus est subjectum in utraque premissa,

5. Duobus modis potest argui in prima figura, videlicet directe, & indirecte. Arguitur directe, quando duo extrema, quae connectuntur in premissis cum medio termino, ponuntur in conclusione eodem ordine, ac in premissis, hoc est, quando majus extreum, videlicet praedicatum majoris, fit etiam praedicatum conclusionis, & minus extreum, quod est subjectum minoris fit

etiam

etiam subjectum conclusionis, ut patet in syllogismo superius allato.

6. Arguitur indirectè, quando duo prædicata extrema non servant eundem ordinem in conclusione, quem habent in præmissis, adeoque prædicatum majoris est subjectum conclusionis, & subjectum minoris est prædicatum conclusionis, ut patet in hoc syllogismo. *Omne animal est vivens, sed omnis homo est animal; ergo aliquid vivens est homo.*

7. In reliquis duabus figuris non potest argui nisi indirectè, quia medius terminus in secunda figura est prædicatum in utraque præmissa, & in tertia figura est subjectum.

8. Modi diversi arguendi in singulis figuris possunt esse sexdecim, quia tot possunt esse combinationes variæ propositionum habentium qualitatem, vel quantitatem diversam: quia verò dictum est in prima figura, posse argui directè, & indirectè, ideo in prima figura sunt possibles 32. arguendi modi, complectendo modos directos, & indirectos, unde sequitur, quod omnes modi possibles in tribus figuris reducuntur ad 64. modos.

9. Omnes

9. Omnes isti modi possibles non sunt utiles ad arguendum, sed aliqui sunt utiles, alij inutiles.

10. Modi utiles sunt illi, qui semper, & necessariè concludunt, adeoque nunquam potest concedi major, & minor, & negari consequentia. Hinc est quod argumentari in aliquo ex modis utilibus est facere syllogismum in forma.

11. Modi inutiles sunt illi, qui non semper concludunt, adeoque potest concedi major, & minor, & deinde negari consequentia, quia hujusmodi argumenta non sunt in forma.

12. Relictis modis inutilibus, omnes modi utiles reducuntur ad folios decem, & novem, qui ut altius memoriæ imprimantur, in ipsis versibus continentur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.

Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

Casare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.

Felapton, Disamis, Datisi, Boccardo, Ferison.

CA-

C A P U T VII.

De Regulis Generalibus in quacun-
que figura.

1. Antequam tradamus Regulas, quæ sunt in omnibus figuris diligenter observandæ, debemus duo præmittere, quæ pro omnibus syllogismis inferiunt.

2. Primo medius terminus debet accipi distributivè in aliqua præmissa, hoc est debet esse terminus communis supponens distributivè. In propositione universali affirmativa distribuitur subjectum, ut patet in hac propositione. *omnis homo est animal*, in qua ly *homo* accipitur distributivè pro singulis hominibus. In universali negativa distribuitur subjectum, & prædicatum, ut in hac propositione *nullus homo est equus*, distribuitur tam *homo*, quam *equus*, quia sicuti verum est nullum esse hominem, qui sit equus, ita verum est nullum esse equum, qui sit homo. In particulari affirmativa nihil distribuitur, in particulari negativa distribuitur prædicatum.

3. Secundum extremum debet distri-
bui in conclusione, quod non fuerit
distrī-

distributum in præmissis, aliter essent quatuor termini in syllogismo, quia unus terminus acceptus in præmissis cum una suppositione, & in conclusione cum alia suppositione, æquivalet duobus terminis: ut dictum est. Hæc omnia memorie gratiâ continentur his duobus versibus.

*Distribuas mediū: non plus conclusio quā præ:
A sub distribuit, dictū O, nihil I sed E totum.*

4. Pro intelligentia horum carminū notandum est quod ly *præ* significat præmissas, ly *sub* significat subjectum, & ly *dictum* significat prædicatum.

5. Regulæ generales, quæ observari debent in omnibus figuris sunt sequentes. Primo ex præmissis particularibus nihil infertur, ut patet in hoc syllogismo: *Aliquod animal est homo, sed aliquis equus est animal: ergo aliquis equus est homo*: Ratio, cur hic syllogismus, qui constat ex præmissis particularibus non concludit est, quia medius terminus non distribuitur.

6. Secunda Regula. Ex præmissis ne-
gativis nihil infertur ut patet in hoc syl-
logismo. *Nullus lapis est homo, sed nul-*

322 De Regulis Generalibus.

ium animal est lapis; ergo nullum animal est homo. Ratio, cur non concludit est, quia unum ex duobus extremis, quæ negantur in conclusione, debet affirmari connexum cum medio termino.

7. Tertia Regula. Si aliqua præmissa est particularis, conclusio etiam debet esse particularis. Ratio est, quia extrema connectuntur inter se in conclusione, ex eo, quod nveniantur in præmissis connexa cum medio termino; ergo si in aliqua ex præmissis sunt connexa particulariter, debent etiam in conclusione connecti particulariter, ut: *Omne animal est vivens, sed aliquis homo est animal: ergo aliquis homo est vivens.*

8. Quarta Regula. Si aliqua præmissa est negativa, conclusio etiam, quæ sequitur debet esse negativa, ut patet in hoc syllogismo: *Nullum animal est planta, sed omnis homo est animal: ergo nullus homo est planta.* Ratio est, quia conclusio semper sequitur partem debiliorrem.

9. Quinta Regula. Medius terminus non debet poni in conclusione, aliter conclusio non esset propositio distincta à præmissis. Haec omnes Regulæ, ut

meli-

Summal. Pars III. Cap. VIII. 123

meliùs retineantur, in istis versibus continentur.

Partibus ex puris sequitur nil, sive negatis;

Si qua præit partis, sequitur conclusio partis;

Si qua negata præit, conclusio fitque negata,

Lex generalis erit: medium concludere nescit.

C A P U T . V I I I .

De Regulis particularibus cuiuscunque figura.

1. Quando arguitur directè in prima figura, duæ sunt regulæ, quarum prima est ista. Si minor propositio est negativa, nihil concluditur, ut patet consideranti omnes modos directos bene concludentes, in quibus nullus inventur, qui habeat minorem negativam; ita hic arguendi modus non concludit: *Omnis homo est animal, sed nullus equus est homo: ergo nullus equus est animal.* Ratio est, quia non valet argumentari, à termino non distributo, ad distributum.

F. 3

2. Sec-

124 *De Regulis Particularibus.*

2. Secunda Regula. Si major propositio est particularis nihil concluditur, ut in hoc syllogismo: *Aūquod animal est homo, sed omnis equus est animal: ergo aliquis equus est homo.* Ratio est, quia medius terminus non distribuitur. Pro secunda figura traduntur aliæ regulæ, quarum prima est. Ex puris affirmatibus in secunda figura nihil concluditur, ut patet in hoc syllogismo: *Omnis Angelus est substantia, sed omnis homo est substantia: ergo omnis homo est Angelus.* Ratio est, quia medius terminus, qui prædicatur in utraque præmissa, non distribuitur, cùm universalis affirmativa, distribuat subjectum.

3. Secunda Regula est. Quando major est particularis, syllogismus non concludit, ut patet in hoc exemplo: *Aūquod coloratum est album, sed nullum nigrum est album; ergo aliquod nigrum non est coloratum.* Ratio est, quia arguitur à non distributo ad distributum, ly enim *coloratum* non distribuitur in majori, quæ est particularis affirmativa, & distribuitur in conclusione, quæ est particularis negativa.

4. Tertia Regula est; conclusio quæ infer-

Summū. Pars III. Cap. VIII. 125

infertur in modis pertinentibus ad secundam figuram debet semper esse negativa. Ratio est, quia si præmissæ sunt affirmativæ, nihil concluditur, ut dictum est, ergo saltem una præmissa debet esse negativa, sed non potest una præmissa esse negativa, quin conclusio sit etiam negativa, ut dictum est, ergo, &c.

5. Demum pro tertia figura duæ regulæ afferuntur, quarum prima est. Si minor propositio est negativa, nihil concludit, ut patet in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal, sed nullus homo est equus. ergo nullus equus est animal.* Ratio est, quia arguitur à non distributo ad distributum, prædicatum enim distribuitur in conclusione, quæ est negativa, & non distribuitur in majori, quæ est affirmativa.

6. Secunda Regula. Conclusio debet esse semper particularis in tertia figura, ideo non est bonus iste syllogismus: *Omnis animal est vivens, sed omne animal est substantia: ergo omnis substantia est vivens.* Quodsi loco universalis conclusonis inferatur conclusio particularis:

F 3

ergo

126 De modo reducendi syllogismos.
ergo aliqua substantia est vivens, syllogismus est bonus, ut patet.

C A P U T IX.

De modo reducendi syllogismos imperfectos, ad perfectos.

1. Inter modos utiles argumētandi, quos diximus esse decem, & novem, aliqui sunt perfecti, & alij imperfecti, unde patet, non esse idem syllogismum esse inutilem, & esse imperfectum, quia syllogismus imperfectus bene concludit, & syllogismus inutilis non bene concludit.

2. Discrimen inter syllogismum perfectum, & imperfectum traditur ab Aristotle in lib. 1. Priorum cap. 1. his verbis. *Perfectum itaque voco syllogismum, nullo alio indigentem, præter propositiones assumptas, ut necessarius appareat; imperfectum verò indigentem, aut unius, aut plurium, quæ sunt quidem necessaria per subjectos terminos: non tamen assumpta sunt per propositiones.*

3. Ex his Aristotelis verbis infertur esse commune tam perfectis, quam imperfectis syllogismis, ut conclusio sequatur

Summul. Pars III. Cap. IX. 127
tur necessariò ex præmissis, differre verò perfectos ab imperfectis syllogismis, quod in syllogismis perfectis appareat evidenter conclusionem sequi, in syllogismis verò imperfectis non adeò evidenter appareat, ideo requiritur aliquid aliud, ut evidentissime appareat conclusionem sequi.

4. Hinc colliges: solos quatuor primos arguendi modos in prima figura, qui vocantur directi, esse perfectos, cæteros esse imperfectos. Ratio est, quia evidensissimum est quatuor prædictos modos regulari à duobus principijs: *dici de omni, & dici de nullo*, quod non est adeò evidens in reliquis argumentandi modis, ut patet consideranti.

5. Quia verò omne imperfectum reduci potest ad aliquod perfectum, ideo Logici invenerunt modum reducendi omnes syllogismos imperfectos, ad primos quatuor perfectos, adeoque ostendendi conclusionem necessariò sequi ex præmissis dispositis in omnibus modis utilibus argumentandi, qui continentur in quatuor versibus prædictis.

6. Duplex datur modus reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos.

unus est per ostensionem, alias per impossibile.

7. Reductio per ostensionem fit, quando eadem coclusio, quæ infertur in aliquo ex modis imperfectis, infertur etiam sub iisdem terminis in aliquo ex modis perfectis, adhibitâ conversione alicujus præmissæ.

8. Reductio ad impossibile fit, quando ex contradictrio propositionis, quæ infertur in aliquo syllogismo ex modis imperfectis, cum una præmissa ejusdem syllogismi, infertur argumentando in aliquo ex modis perfectis, contradictrium alterius propositionis, adeoque ostenditur non posse antecedens esse falsum, & consequens verum.

9. Exemplis totum declaratur; formet aliquis hunc syllogismum in *Cæsare*, qui necessariò est imperfectus, quia est in secunda figura: *Nullus lapis est animal, sed omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis*, Hic syllogismus reducitur ostensivè, vel per ostensionē ad syllogismum in *Celarent*, qui est syllogismus perfectus, convertendo propositionem majorem conversione simplici, in hunc modum: *Nullum animal est la-*

pis;

Summul. Pars III. Cap. IX. 129
pis, Sed omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis. Ecce argumentum perfectum, in quo sub iisdem terminis, eadem conclusio infertur, quæ fuit illata in syllogismo imperfecto.

10. Formet aliquis hunc alium syllogismum in *Boccardo*, qui est in tertia figura, adeoque est modus imperfectus: *Aliquis homo non est lapis, sed omnis homo est rationalis, ergo aliquid rationale non est lapis*. Hic syllogismus reducitur ad syllogismum in *Barbara* per reductionē ad impossibile hoc pacto: Sumatur propositio contradictoria conclusionis, quæ erit ista: *Omne rationale est lapis*, & ista sit major syllogismi in *Barbara*, deinde pro minori sumatur minor primi syllogismi, videlicet *omnis homo est rationalis*, infetur per syllogismum in *Barbara*, hæc conclusio, ergo *omnis homo est lapis*; sed hæc propositio est contradictoria hujus propositionis: *aliquis homo non est lapis*, quæ est major propositionis syllogismi in *Boccardo*, ergo non potest esse consequens falsum, dum arguitur in *Boccardo*, quin eo ipso sit falsum antecedens; adeoque ille modus argumentandi est optimus. Eodem pacto si quis hunc syl-

F 5

logis-

220 De reducendi syllogismis.

logistum in Barocco: *Omne risibile est homo: aliquis lapis non est homo: ergo aliquis lapis non est risibilis*: Velit per reductionem ad impossibile reducere ad syllogismum in *Barbara*, debet ex majori propositione, & minori, quæ debet esse contradictionia consequentis, inferre conclusionem contradictionis minoris in hunc modum: *Omne risibile est homo, omnis lapis est risibilis, ergo omnis lapis est homo*. Hæc conclusio quæ inferatur in syllogismo in *Barbara*, ergo *omnis lapis est homo*, contradicit illi propositioni, quæ est minor in syllogismo in *Barocco*: *aliquis lapis non est risibilis*.

10. Difficultas est declarare primò quānam sint illi modi inter syllogismos perfectos ad quos reducendi sunt, vel per ostensionem, vel per impossibile singuli imperfecti: secundò quā reductione singuli sint reducendi, ostensivē? an per impossibile? tertio quānam propositione convertenda sit, dum sit reductio per ostensionem.

11. Pro solutione hujus difficultatis debemus recolere singula verba, ex quibus componuntur quatuor illa carmina *Barbara* *celarent* &c. deinde considera-

re

Summul. Pars III. Cap. IX. 231

re primas literas, quæ inveniuntur in istis quatuor verbis *Barbara*, *Celarent*, *Darij*, *Ferio*: quibus respondent quatuor modi perfecti (ut dictum est) hujusmodi litteræ sunt *B*, *C*, *D*, & *F*, omnia alia verba, per quæ significantur reliqui modi imperfecti argumentandi, incipiunt per aliquam ex istis quatuor literis, ut facilè patebit considerantibus. Hinc est quod omnes isti modi, qui incipiunt per litteram *B*, reducendi sunt ad *Barbara*, qui per litteram *C* ad *Celarent*, qui per litteram *D* ad *Darij*, & qui incipiunt per litteram *F* ad *Ferio*.

12. In omnibus modis fieri potest reductio per ostensionem, exceptis illis, qui significantur verbis includentibus litteram *C*, quales sunt; syllogismus in *Barocco*, & syllogismus in *Boccardo*, qui non possunt reduci ad syllogismum in *Barbara*, nisi per reductionem ad impossibile.

13. Præterea debemus observare tres alias litteras consonantes *S*, *P*, & *M*, quarum prima nimirum littera *S*, significat propositionem, quæ significatur per vocalem antecedentem, convertendam esse simpliciter; secunda nimirum *P*,

F 6

signi-

132 De modo reducendi syllogismis.

Significat conversionem faciendam esse per accidens; tertia videlicet *M*, significat faciendam esse mutationem præmissarum, ita ut major mutetur in minorem, & minor in majorem. Declaratur hoc totum præsenti exemplo. Formet aliquis hunc syllogismum in *Camestres*: *Omnis homo est animal, sed nulla planta est animal, ergo nulla planta est homo.* Hic syllogismus debet ostensivè reduci ad syllogismum in *Celarent*: quia invenitur in hoc verbo *Camestres*, duplex littera *S*, una post secundam vocalem *E*, & alia post tertiam vocalem similiter *E*, & duæ vocales significant, minorem, & conclusionem, esse propositiones universales negativas, hujusmodi sunt convertendæ simpliciter, adeoq; conclusio converti debet in hanc propositionem: *nullus homo est planta*; minor propositio converti debet in istam: *nullum animal est planta*. rursus quia invenitur littera *M*, quæ significat mutationem præmissarum, minor debet fieri major, & major minor in hunc modū: *Nullum animal est planta, sed omnis homo est animal, ergo nullus homo est planta.* Qui syllogismus est perfectus, & concludit in *Celarent*.

CA-

Summul. Pars III. Cap. X. 132

C A P U T U L T I M,
De syllogismo sophistico, sive fal-
acijs.

1. Propositis, & declaratis modis tam perfectis, quam imperfectis argumentandi, debemus pro complemento summularum aliqua de syllogismo sophistico, sive de fallacijs leviter delibare, ex quibus formari solent argumentationes subdolæ, & captioñæ, ea de causa ita appellatae, quia rudes Philosophi ita ab ijs capiuntur, ut nesciant verum, à falso discernere, quare operæ pretium erit, præcipuas fallacias expōnere, & simul tradere modos eas solvendi, ut omnes habeant in promptu ea, quibus possint dissolvere sophisma ta sibi objecta, & ita sophistarum conatus eludere, frustra enim jacitur rete ante oculos pennatorum.

2. Ad constituendam fallaciam sive ad formandum argumentum sophisticum duo requiruntur, videlicet similitudo, quam habet falsum cum vero, movens intellectum, sive imaginacionem ad errandum. Hæc similitudo est

F7

occa-

134 *De syllogismo sophistico.*

occasio deceptionis, adeoque appellatur causa apparentiæ, quia intellectus non bene distinguens confundit unum cum alio, & ita decipitur, accipiendo falsum pro vero. Alterum, quod requiritur ad formandā fallaciam est dissimilitudo, & vera differentia, quæ est inter falsum, & verum; hæc dissimilitudo vocatur causa non existentiæ, quia intellectus, qui perfectè distingvit, statim attingit illam differentiam, quæ discernit falsum à vero.

3. Hoc exemplo rem totam declaro. Hic syllogismus est sophisticus, & includit fallaciam: *Omnis canis latrat*; *Sed sydus cœleste est canis*, *Ergo sydus cœleste latrat*. Fallacia hujus syllogismi consistit in illa voce *canis*, quæ cum sit terminus æquivocus ut dictum est, Par. pr. cap. 5. num. 4 sumitur perinde ac si esset terminus univocus. Causa igitur apparentiæ in ista fallacia est illa similitudo, quæ est inter terminum æquivocum *canis*, & terminum univocum *animal*, sicuti enim animal dicitur de homine, de equo, &c. animalibus, ita *canis* dicitur de cane Maritimo, Cœlesti, & Terrestri. Causa non existentiæ

est

Summnl. Pars III. Cap. X. 135

est dissimilitudo, quæ intercedit inter terminum æquivocum, *canis*, & terminum univocum *animal*, quia ratio per hoc nomen *canis* significata est omnino diversa in cane Maritimo, Cœlesti, & Terrestri, ratio verò significata per terminum univocum *animal*, est omnino eadem in singulis animalibus.

4. Omnes fallaciæ reducuntur ad duo genera, sicuti duæ sunt causæ, ex quibus nascitur diversitas apparentiæ, in qua fundatur omnis fallacia.

5. Unum genus est earum, quæ dicuntur in dictione, quales sunt omnes illæ, quæ habent causam suæ apparentiæ in solis vocibus. Aliud genus est earum, quæ dicuntur extra dictiōnem, hoc est, earum, quæ causam suæ apparentiæ non habent in vocibus, sed in rebus per voces significatis.

6. Antequam de singulis utriusque generis fallacijs agamus, notandum est syllogismum, in quo invenitur fallacia, non esse syllogismum formalem. Hinc est, quod potest concedi major, & minor, & deinde negari consequentia, ostendendo fallaciam argumenti.

7. Fal-

7. Fallaciæ in dictione sunt sex. *Æquivocatio*, *Amphibologia*, *Accentus*, *Compositio*, *Divisio*, & *Figura* dictio-
nis.

8. Fallacia æquivocationis est, error proveniens ab una voce significante plura diversa; hæc fallaciæ laborat iste syllogismus: *Ridere, est mouere labra*, *Sed prata rident, Ergo prata movent labra*.

9. *Æquivocatio* consistit in illa voce *ridere*, quæ cum significet res diversas, in majori propositione significat risum proprium hominis, & in minori significat risum improprium, atq; meta-
phoricum.

10. Fallacia *Amphibologiæ*, est error proveniens ab una oratione, quæ potest habere plures sensus. Hujusmodi fallacia invenitur in hoc syllogismo. *Quidquid est Aristotelis possidetur ab Aristotele*, *Sed hæc Logica est Aristotelis, Ergo hæc Logica possidetur ab Aristotele*.

11. Fallacia consistit in illa oratione, *quidquid est Aristotelis*, quæ in majori significat rem ab Aristotele possessam, & in minori significat Logicam ab Aristotele compositam.

12. Fal-

12. Fallacia accentus est error proveniens ex diversa significatione, quæ o-
ritur ex diversa pronunciatione accentus, vel quantitatis alicujus syllabæ:
hæc fallacia est in isto syllogismo: *Omnis populus est arbor*, *Sed Roma est populus*, *Ergo Roma est arbor*. Solvitur fallacia ostē-
dendo diversam significationem, quam
habet hæc vox *populus*, cuius prima syllaba est longa, ab ea, quam habet ea-
dem vox, cuius prima syllaba est bre-
vis.

13. Fallacia compositionis committi-
tur, quando sensus divisus est verus, &
sensus compositus falsus, & arguitur à
sensu diviso ad sensum compositum, ut
patet in hoc syllogismo. *Omnem homi-
nem currere est possibile*, *Sed Petrus qui
nunc sedet est homo*, *Ergo Petrum nunc
sedentem currere est possibile*.

14. Solvitur hæc fallacia distinguen-
do sensum compositum à sensu diviso,
in hunc modum. *Omnem hominem cur-
re est possibile* in sensu composito cùm
sessione, nego majorem; in sensu diviso
à sessione, concedo majorem; & deinde
concessâ minori, distingo consequens;
*ergo Petrum nunc sedentem currere est possi-
ble*

bile in sensu diviso, concedo consequen-
tiam: est possibile in sensu composito,
nego consequentiam.

15. E contrario fallacia divisionis
committitur, quando à sensu composito
vero arguitur ad sensum divisum,
falsum, ut patet in hoc argumento: *Su-
venes esse senes est impossibile, Sed homines
sunt juvenes: Ergo homines esse senes est
impossibile..* Solvitur similiter hæc falla-
cia distingvendo sensum divisum à sen-
su composito.

16. Fallacia figuræ dictionis, est error
proveniens ex eo, quod nomen unius
prædicamenti sumitur pro alio prædicamen-
to, ut iste syllogismus: *Quidquid
emisti, comedisti; Sed emisti carnes cru-
das; Ergo comedisti carnes crudas.*

17. Fallacia consistit in eo, quod à
prædicamento substantiæ fit transitus
ad prædicamentum qualitatis. Extra
dictionem plurimæ fallaciæ commit-
tuntur.

18. Prima est fallacia accidentis, quæ
tunc committitur, quando uni rei tri-
buimus omnia, quæ tribuimus alteri,
quæ tamen non convenient illi, quæ
parte est una res cum alia, existimam-
tes

tes id licere, propter identitatem, & u-
nitatem. Hæc fallaciâ laborant omnes
syllogismi, in quibus adhibentur ter-
mini cum suppositione, vel appellatio-
ne diversa, de quibus actum est suo
loco. Ita hic syllogismus. *Veritas est
terminus abstractus; Sed Deus est veritas:
Ergo Deus est terminus abstractus.* Habet
fallaciam accidentis, quia terminus ve-
ritas in majori supponit simpliciter, &
in minori personaliter.

15. Secunda fallacia est secundum
quid, & simpliciter, hæc solet esse fre-
quentissima in argumentis, & committit
tur quando aliquod prædicatum dici-
tur de subjecto simpliciter, quod illi
convenit secundum aliquam partem;
in quo casu arguitur à secundum quid
ad simpliciter, ut *Æthiops est albus se-
cundum dentes, ergo est albus.* consequen-
tia non valet, quia arguitur à secun-
dum quid, ad simpliciter.

20. Eadem fallacia committitur, quā-
do aliiquid prædicatur de subjecto se-
cundum partem, quod illi convenit
simpliciter, in quo casu arguitur à sim-
pliciter, ad secundum quid, ut *homo est
mortalis; ergo est mortalis secundum ani-
mam;*

mam; consequentia non valet, propter eandem rationem. Huc spectant omnes fallaciæ, quæ committuntur, dum arguitur à termino diminuto, vel distracto ad terminum non diminutum vel non distractum.

22. Tertia fallacia est ignoratio Elenchi, pro qua intelligenda; supponendum est; Elenchum esse syllogismū contradictionis, id est probantem contradictrium ejus, quod fuit concessum, vel simul inferentem duo contradictoria, quod si vere probet: dicitur verus Elenchus, si falso, dicitur sophisticus, & in eo consistit hujusmodi fallacia, quæ tunc committitur, quando arguitur in conclusione contradictionum antecedentis, non servatis legibus veræ contradictionis. Ut: *Petrus velociter currit, & non currit tardè, ergo currit, & non currit.* Consequentia non valet, quia velociter currere, & tardè non currere non sunt contradictoria.

22. Quarta fallacia est fallacia consequentis, quæ committitur, quando arguitur à contraditorio antecedentis ad contradictrium consequentis, vel ab affirmatione consequentis ad affirmati-


onem

onem antecedentis, ita hic syllogismus. Qui dicit te esse equum, dicit te esse animal; sed qui dicit te esse equum, dicit falsum: ergo qui dicit te esse animal, dicit falsum. Habet fallaciam consequentis, quia non valet consequentia; non est equus, ergo non est animal.

23. Quinta fallacia vocatur petitio principij, & committitur quando probatur idem per idem, aut assumitur res i-gnotior, vel æquè ignota ad aliquod probandum, ut si quis volens probare Logicam esse scientiam, asumeret hoc antecedens. *Falsum est, logicam non esse scientiam, ergo Logica est scientia.*

24. Ultima fallacia est, non causæ pro causa, quæ committitur quando deducimus consequens ex antecedenti non proprio, ipsi tribuentes veritatem consequentis, ut *Petrus est musicus, ergo ædificat* consequentia non valet, quia licet verum fortasse sit, Petrum esse musicum, & Petrum ædificare, ratio tamen cur Petrus ædificat non est, quia est musicus; sed quia est architectus. Et hæc de summulis dicta sint fatis.

F I N I S.



CATTANEUS, OCTAVIUS
LOGICAE SUMMULAE
TYRNAVIAE.
SĘK. II. 1693.
LH.: MTAK - RM. II. 249.

WEGE